Böttiger
de Hercule
in bivio

Tuyl

HERCVLES IN BIVIO

E PRODICI FABVLA ET MONVMENTIS PRISCAE ARTIS ILLVSTRATVS

ARGVMENTVM EPISTOLAE

AD

VIRVM MAGNIFICVM

CHRISTIANVM DANIELEM BECKIVM

MVSARVM LIPSIENSIVM CHORAGVM

DATAE,

QVA

ET QVINA DECENNALIA DOCTORIS ACADEMICI

A. D. VIII. ID. MAII. ANNI MDCCCXXIX

CELEBRATA

ET PRAEFECTVRAM EQVESTRIS ORDINIS SAXONICI CIVILIS REGIS AVSPICIIS

ILLI OBLATAM

GRATVLATVR

CAROLVS AVGVSTVS BOETTIGERVS

AMICVS.

Adiecta est tabula aenea imaginem picturae antiquae referens.

LIPSIAE

TYPIS ET SVMTIBVS CAROLI TAVCHNITII

MDCCCXXIX.

Προπεμπτικόν.

Adeste, hendecasyllabi sequaces,
Heus, talaria subligate plantis.
Tranate aethera, nubibus minaces.
Haud magnus labor est. Volate ad urbem,
*Qua sexto essedo *) equi meare possunt.*
Petenda est Philyrea docta, dives,
Cui Pallas favet, annuitque Plutus.
Sed si moenibus adstitistis urbis,
Cursores agiles repente facti,
Vesco in corpore flexiles, cavete,
Ne vos baiulus aut ferox agaso
Protrudat cubito, propellat ulnis.
Ingenti plateae strepunt tumultu,
Discursat recutita gens, profundit
Merces Copia, fervet angiportus,
Quo vix lux penetrat meridiana,
Mercatoribus institoribusque.
Huc si per plateam via Grimana
Intrastis, petite atrium, domumque

---

*) Martial. X, 104.

BECKI, quo nihil est in urbe tota
Libris plenius, eruditiusque.
Est hic perfugium et patens asylum
Doctis omnibus atque literatis.
Sic vobis aditus patebit! Ite!
Quod si vos piget obvios morari
Atque anquirere ianuam cupitam,
Monstratore opus est. Viam docebo.
Ad portae interiora si stetistis,
Dextrorsum, veteres ubi tabernae
Mixtas nobilitant novas tabernas, *)
Deflexi, titulos librariorum,
Qui vos allicere et movere possint,
(Nam sunt magnifici, trahunt hiantes,)
Praetermittite, pergite; en, videtis
Signum, quo nihil est magis decorum.
Fixa est in foribus, (novem sorores
Primo mane ferunt tulisse ad aedes,)
Laurus frondibus usque quaque opaca,
Quas si pernumerare vultis omnes,
Quinquaginta alit arbor ista frondes
Baccarum et foliorum honore opimas.
Quinquaginta etenim SENEX amicus,
Illas qui sibi mancipavit aedes,
Annos iam docet artium perennem

*) Der alte Neumarkt.

Orbem, quo sapere et calere discit
Oestro percita masculo iuventus,
Quaque Europa patet, deos adorat,
Trisaeclisenis augeantur anni.
Illuc, hendecasyllabi, salutem
Apportate meam, metu remoto.
Nam quamvis procul esse vult ineptos
Emtor mercis idoneus probatae,
Quam, si clepsydra defluit, metimur;
Quamvis BECKIVS odit inficetos,
Et musca assidua impudentiores
Saecli incommoda, garrulos, loquaces,
Vobis, versiculi, vacabit, atque,
Si circum latus et pedes salitis,
Arridebit et auribus prehensos,
Permulcens caput, intuens ocellos
Sedere in gremio iubebit ipse.
Tunc, nulla est mora, blandulis susurris
Misit, dicite, nos pater pusillos,
Ut, quibus pluat in caput coronis,
Et quos accumulet merenti honores
Gratans patria, civiumque plausus,
Ardor discipulorum, amor Tuorum,
Narremus memores, domum reversi.
Qui nos misit, abest, dolet gemiscens,
Quod nodis miser improbis tenetur;

Vertigo, heu, mala concutit cerebrum
Et spes iam vetat inchoare longas.
Haec si dixeritis, sinu reclusum
Parvum promite seduli libellum,
Quem vestris manibus dedi ferendum,
Et ut perlegat, otiosiorem
Si quando Genius reduxit horam,
Exorate virum.
Senex senile
Mittit mnemosynon, rogatque pignus
Ut sit foederis, Hora quod sacravit
Ante haec lustra decem, fluenta Lethês
Quod nec rumpere, nec vorare possunt.

---

*Octoginta adsunt, **BECKI**, Tibi vota ferentes*
Versiculi; aetatis nomen et omen habes.

EPISTOLA.

Per quinquagenas comples tua munera brumas.
Mart. XII, 67.

Illuxit tandem dies desideratissima, bonorumque omnium votis exoptatissima, BECKI Illustrissime, quae post longissimum quinquaginta annorum intervallum, ex quo cathedram ornare coepisti in Academia Lipsiensi, splendidissima Tibi offert meritorum Tuorum cum de universa republica literaria, tum de Saxonia literata per tres fere hominum aetates partorum praemia. Ad solemnia, quae iam Tibi doctori tot annorum parantur, quina decennalia celebranda quidquid ubique est per Saxoniam doctorum hominum a disciplina Tua profectorum, mutuis adhortationibus laudumque Tuarum praeconiis sese excitant, quod faustum, felix fortunatumque sit Beckio nostro, undique acclamantes. Personant ubique voces discipulorum laetabundorum, plaudunt cives gratulabundi, gestiunt digitoque Te monstrant patres familiae, annuit felicitati Tuae novisque Te cumulat honoribus REX CELSISSIMUS, Pater Patriae, faventque, qui praesto illi sunt, rerum civilium et sacrarum administri sapientissimi. Mittunt oratores, qui Tibi et Universitati literarum Lipsiensi haec sacra semisaecularia gratulentur, Academiae in vicinia florentissimae, sorores scilicet natu minores sorori natu maximae, talem filium illi contigisse mirifice laetatae. Accedit aliud, quod insignis laetitiae fructum si non cumulare, at in maiori certe theatro spectatorum undique affluentium collocare poterit. Fervent cum maxime nundinae Lipsienses, perstrepunt plateae mercatorum barbatorum imberbiumque ex omnibus Europae regionibus huc, ut merces venales protrudant diripiantve, confluentium studiis, aurigarum vociferationibus, propolarum clamoribus, institorum cantilenis. Hi, quid sibi hic apparatus, quid magistrorum nitide depexorum et vestitu ipso magnam dignationem prae se ferentium confluxus velit ab omni nundinatione alie-

nissimus, quaerunt, mirantur, adstupent, et hic certe non valere illud Satirici Romani, quod semper in ore habent et pectore,

— — nos te,
Pulchra Moneta, deam facimus, coeloque locamus,

ingenue fatentur.

Sed haec aliis dilaudanda et in ephemeridibus passim depraedicanda relinquo. Mihi in summo rarae felicitatis fastigio ponendum et vere palmarium esse videtur illud, quod senex iam septuagenarius, tantum honorum officiorumque curriculum emensus, stadio a carceribus ad metam toties confecto, tot palmis acceptis, fascibus Rectoris academici cum maxime circumseptus, laetus vegetusque circumspicis, et post tot quotidianos labores, a quibus Tibi vix ullam relaxationem concesseras, tot scholarum bis quotannis instauratarum decursus, tot egregia eruditionis totum literarum orbem complexae ingeniique monumenta in lucem edita, tot hominum ex omnibus terris accurrentium et Te salutantium interpellationes, tot curas Academiae regundae administrandaeque summa contentione impensas, tot libellorum, quorum vilissima nunc est annona, usquequaque propullulantium Tuoque iudicio ex auctoritate publica submissorum censuras, tot librorum, de quibus sententiam Tuam exspectat universus hominum literatorum coetus, quotidianis vel menstruis commentariis a Te editis inserendam, recognitiones, tot epistolarum commercia, quae ex omnibus patriae nostrae finibus ad Te commeant, vel magistratuum, qui doctores a Te sibi expetunt, vel privatorum hominum, qui a Te edoceri, aut Tuo praesidio crescere cupiunt, nulla fere ingravescentis aetatis incommoda sentis vereque, quod aiunt, aquilae senectutem in Temet ipso sitam esse laetus agnoscis. Scilicet unum est, sed efficacissimum ad haec gnaviter et alacriter perficienda telum severa frugilitatis, continentiae et industriae ratio, quam Tibi ipse a teneris iam imperasti, et a qua procedente tempore, et in ipso senectutis limine nunquam ne latum quidem digitum Tibi recedendum esse statuisti. Antiquorum es hominum, oblectamentorum deliciarumque, quibus cupidissime inhiant aequales nostri, cultor parcus admodum et infrequens, ludos scenicos, convivia intempestiva, colloquia in conciliabulis et sodalitiis a lepidissimis congerronibus ad multam noctem protracta, procul a Te habuisti; unam, e qua per quinquaginta annos acroasibus et scholis philologicis, historicis, theologicis iuvenum animos ad munera gravissima obeunda informasti firmastique, cathedram Tibi colendam esse ratus, a mulierculärum suavissimarum cathedris, et herbae Sericae, quae ibi in murrhinis circumfertur, sorbitioni-

bus, gravissimorum virorum, vespertinas horas lepidissime ibi fallentium exemplo parum commotus, semper abhorruisti, concentus tantum symphoniacos, cum e vicinia Te allicerent, interdum adire ibique, dum datur relaxatio auribus, sermones conferre cum collegis, virisque oppidi primariis haud gravatus. Ab ineunte aetate matutinis, atque antelucanis adeo studiis assuetus illas horas, quarum dulcissimo fructu nullus cliens, nullus salutator nos defraudare potest, lucubrationibus politissimis impendere, deinde si per anni tempestatem liceret, ambulatione in agro suburbano sub divo paululum recreatus vegetus alacerque ad munia gravissima obeunda Te accinxisti, fecistique sedulo, ut ne tantillum temporis Tibi mille quotidie negotiis circumsesso periret, statim post prandium, quod unum fere familiaribus sermonibus cum matre Tua, quamdiu illa in vivis fuit, matrona prudentissima, cum conjuge ornatissima, liberisque et nepotibus Tuis, virtutis paternae hereditatem cernentibusconserendis Tibi reliquum fuit, actis diurnis lectitandis, vel plagulis,quas typotheta missitat, emendandis impendens. Nam hoc quoque emaculare soles, ne, ὡς βιβλιοπωλικὸν ἔπος εἰπεῖν, plane maculatura fiant cavens. Itaque, quod olim de magno Romani nominis imperatore dictum esse accepimus, neminem quisquam elegantius diligentiusque illo intervalla negotiorum otio dispunxisse, in Te quoque cadere censuerunt omnes, quibus interiora domus Tuae nosse vitaeque, si Lucretiano verbo uti fas est, postscenia introspicere datum fuit. Nimirum quod Kantium, vitae verique indagatorem sagacissimum saepe professum esse perhibent, plerosque mortalium fieri posse nonagenarios, si ad amussim vivant, mori autem multo citius, non febribus, sed incuria, id Tu, Senex prudentissime, in omni victu cultuque diligentissime observans, praemia crudae viridisque senectutis tulisti amplissima.

Me vero dies illa, quae cum plausu et significatione bonorum omnium ex eo suggestu, e quo ante quinquaginta annos orationem habuisti doctoris publici inauguralem, in splendidissima amicorum auditorumque omnium ordinum corona incredibili animi vigore, orisque vere Latini facundia verba et facientem videt, dici non potest, quanta cumulet perfundatque laetitia. Nunquam effluet ex animo meo primus congressus, quo Te coram intueri oculosque in os Tuum defigere contigit, amice aestumatissime, spectatissime, praestantissime. Nam postquam e nido illo Portensi, in quo per integrum sexennium et quod excurrit, (nam mensem unum addideram) dulcissimo bonarum literarum pabulo innutritus fueram, evolaveram Lipsiam, ut ibi Philologiae et Theologiae studiis

totum me addicerem, veni cum Doeringio meo, quem Deus fortunet sospitetque, salutatum matrem Tuam, quae cum esset e gente Stemleria, nos Elsterbergae in Variscis natos educatosque, quo et ipsa referebat genus suum, magna comitate excepit Tibique et fratri Tuo natu minori peramanter commendavit. Legeram iam tum Gerae in aedibus vitrici, apud quem commorabar, ludo Portensi relicto, specimen observationum in Hippolytum, quo cum scholae Thomanae vale diceres, primum lectionis variae et acuminis, quo iam pollebas, plane singularis feceras periculum. Legeram et admiratus eram festinatam ingenii Tui maturitatem, quippe quod in primo Academiae limine non flosculos, sed certos iam et deformatos fructus ostendisset. Itaque voluptate Tecum colloquendi et e sermonibus Tuis, magna ipse quoque laudis cupiditate incensus, expleri non poteram. Et redeo adhuc in memoriam, quam iucunda mihi fuerit et fructuosa lectio disputationis de bibliothecis Alexandrinis, qua viam Tibi patefecisti ad scholas privatas in Academia habendas. Nam propter domuitionem, quod vacationem nobis darent feriae nundinales, illi interesse non potui. Atque inde ab eo tempore perpetua mihi Tecum communis studiorum necessitudo intercessit. Exosculabar, deperibam incredibilem eruditionis Tuae in dies magis magisque inclarescentis exsplendescentisque copiam, uberrimos e colloquiis et animadversionibus Tuis, quandocunque Te videndi occasio mihi oblata esset, fructus percipiebam, Teque, in quod intuerer, exemplum mihi esse volebam, suadente et cohortante Moro nostro, cuius beneficia in utrumque nostrum collata nulla unquam obliterabit oblivio. Nam is, quotiescunque sermo in Te incidisset, Tibi favebat mirifice, Teque decus et ornamentum fore Lipsiae sibique aliquando successurum iam tum praesagiente praecipiebat animo. Quid mirum, necessitudinem, e communibus utrique studiis, quibus nullum ad conciliandos devinciendosque animos lenocinium vel, si dicere fas est, philtrum ne cogitari quidem potest, ortam in eam paulatim coaluisse amicitiam, quae nec locorum a Lipsia, virtutum Tuarum theatro, multum dissitorum longinquitas, nec longa annorum series exstinguere potuit aut refrigerare. Tantum abfuit, ut hominis, primum custodis generosorum iuvenum partes tuentis, deinde in umbraculis scholasticis Gubenae et Budissae apud Lusatos delitescentis, denique Gymnasio Vinariensi moderando admoti, amorem et memoriam ex animo deponeres, ut potius haec animorum studiorumque coniunctio vetera illa vincula arctius in singulos dies adstringeret. Laetabar quoties Te egregium et, ut ille ait, novem Musis caelatum opus e the-

sauris Tuis vel favissis depromsisse et in lucem emisisse nuntius ad me, provincialem scilicet hominem et quae in Vestrae Academiae luce prodirent cognoscendi cupidissimum afferretur. Nec, quamvis exigua admodum rura mihi colenda esse intelligerem, Tua cum perlustrarem latifundia, unquam livore tactus aut aemulationis stimulis incitatus condolui. Illud vero saepe mihi accidere memini, ut prolusionis alicuius in subselliis, ut fit, scholasticis elaboratae vel alius forte scriptiunculae, quae mihi multa molienti, pauca admodum perficienti, exciderat, ad Te in celeberrima bonarum literarum officina non nisi omnibus numeris absoluta et perfecta proponentem mittendae mihi oblata esset occasio, Tuam cupidissime exspectarem sententiam, me tunc demum operae pretium fecisse ratus, si, quae emisissem, Tibi quoque limatissimoque Tuo iudicio probata esse intelligerem. Tibi enim volebam placere et Heynio, quidquid opellae posuissem in monumentis veterum vel scriptis vel priscae artis operibus expressis et ad nos propagatis exquirendis illustrandisque. Dresdam deinde evocatus non potui non, quae animo agitarem consilia, quaeque molirer, prelis quoque subiicienda Tibi impertiri et quae ex animi sententia fluerent, vel parum prospere cederent, in Tuum sinum effundere omnia. Accessit aliud, quo me in aeternum Tibi devinxisti, tantisque me Tibi obstrinxisti beneficiis, ut nomen in expensi tabulis a Te relatum expungere et paria Tecum facere nunquam possim. Amorem enim, quo patrem a iuventute complexus es, transtulisti ad filios, qui cum Lipsiae studiis operam darent academicis, Te praeceptore, monitore, viaeque qua iter est ad solidam doctrinam, monstratore usi sunt assiduo et mensae Tuae adhibiti colloquiisque familiaribus admoti paternarum aedium nunquam desiderarent solatia et adminicula.

Sed nondum finem facere possum enumerandis benevolentiae Tuae documentis. Est aliud, cuius iucundissima animo meo nunquam non obversatur recordatio et in quo, si quando quotidianarum harum formarum taedium obrepserit, lubenter acquiescere soleo.

Triginta fere anni sunt, ex quo quotannis excurrere soleo Lipsiam ad visendas ibi nundinas vernales. Video hic quassare capita nonnullos et in sinu ridere suaviter. Mercator factus est Boettigerus. Lucellum captat! Coëmit quae minoris ibi constant! Bona verba, quaeso, viri humanissimi! Nulla profecto ibi emturienti tenduntur retia mercibus e tota Europa illuc comportatis ad mercatum unum omnium celeberrimum. Quin, cum tabernas perambulo et bellos homines mulierculasque pro-

caces his inescari video, in memoriam mihi revoco Socratis effatum: quantum est, quo non indigeo. Sed dicam vobis in aurem, o boni, quibus ibi irretiar illecebris. Advolant illuc et quae sub prelis sudarunt, scripta typis excusa, consarcinata plaustrisque imposita undique convectant Tryphones et Sosii, quorum interest ut pro chartis atramento typographico madidis aurum reportent et loculos moneta proba et aspera refertos. Frequentes conveniunt e Germaniae finibus longe lateque dissitis librarii plerique omnes. Nec desunt, qui e Scandinavia, Britannia et Francogallia symbolas suas ad coenam hanc collatitiam advehant, viri honestissimi. Hic volupe est, non oculos tantum pascere his ferculis literariis, sed, si ad palatum sint et salivam moverint, degustare etiam et digitis attingere primoribus. Quin messem etiam, quae in herba est, licet inspicere. Etenim uno quasi obtutu ea quoque, quae in posterum arridere queant, dummodo sacculus non sit aranearum plenus, aut evolvere licet, aut si nondum profligata sint, e speciminibus passim oblatis diiudicare. Nec piguit unquam puduitque familiarium, cum coquis ipsis, qui has dapes apparant struuntque, librarios puta, colloquiorum, e quibus quo in loco iam res sit literaria domi eorum, quibus legibus a summo magistratu promulgatis vel stranguletur vel emancipetur litera typis figenda, quae fata sint auctorum scriptis suis cum maxime nobilitatorum, longe certiora percontari licet et resciscere, quam quae actis diurnis sparsa vel a famigerulis dissipata volitant per ora virûm, rumusculis insuper valde ambiguis aut ἀκεφάλοις in immensum aucta. Qua quidem rerum novarum, quae in orbe literario quotidie se emergunt, contemplatione vel, si mavis, aucupio me magnopere delectari, fastidiumque e pridiano jure vel crambe plus decies recocta domi contractum me levari si libere fatear, non est, quod reprehensiones metuam severiorum hominum, sannasve superciliosorum quorundam censorum, haec parum convenire cum persona, quae et munerum a me gestorum dignatio et senilis aetatis gravitas mihi imponat, clamantium. Nam alios quoque mei ordinis et aetatis viros eodem studio inflammatos huc convenisse et foro uti didicisse magna cum voluptate saepe intellexi. Scis ipse, BECKI ILLUSTRISSIME, quot quantique ad hunc mercatum literarium explorandum considerandumque huc quotannis fere affluant viri eruditi, ferculis scilicet, quae ibi delibanda apponuntur, exquisitissimis largius se invitaturi. Scis, VIR OPTIME, et ringeris saepe officiosis eorum saltationibus quidquid est otii circumscribi. Schuetzium, inexhausti vigoris senem octogenarium, in rebus, quae olim acciderunt, enarrandis nunquam

tibubantem, facetiis et leporibus disertum, Eichstadium, Academiae Ienensis ornamentum et decus eximium, disertissimum et eloquentia vere Romana palmam omnibus praeripientem, Gruberum literatissimum et quidquid orbe literario comprehenditur, in promtu et numerato semper habentem, Langium, Portensem philologum, Musarum ocellum, aliosque bene multos, quibus benignior ingenii vena scribendique facultas est, agentes ibi de literarum incrementis audire memini et occurrentes passim prensare, salutare. Eheu! Abierunt ad plures iam acerrimosque desiderii aculeos pectoribus nostris infixos reliquerunt Iacobius, omnis politiae investigator acerrimus, Niemeyerus, vir incomparabilis, qui cum et fari posset et sapere, in sacris semisaecularibus duobus abhinc annis in honorem eius celebratis doctor Germaniae est renuntiatus, Erschius, omnis literaturae promus condus copiosissimus, anima, qua candidiorem terra non tulit, qui quidem Halenses triumviri ad conventus librariorum Lipsiae congregatorum cum quotannis commearent, sermones conferrent cum bibliopolis et collegarum mandata ad illos perferrent, multis profuerunt in commune consulentes, iisque, qui essent tardiusculi, calcaria addiderunt. Havete animae piae, et si quis manium sensus, huic diei plaudite! Propterea ego quoque idem cum facere et per tria propemodum decennia diligenter exsequi iam pridem cum instituissem, nec mihi ipse defui, nec aliis. Quid, quod honestum esse putavi et a persona mea non alienum, librariorum, quorum usu mihi spectata fides fuit, commodis prospicere et in universum rei literariae, cuius rationes, ut nunc res sunt, e librariorum nostrorum opibus et reditibus arctissime suspensas esse, nemo nescit, bene consulere. In his igitur excursionibus dici non potest, quantum in bonitate et humanitate, quae in Te sita est, amicissime BECKI, mihi fuerit praesidii. Nam Tu quasi in excelsa specula constitutus magna solertia et vigilantia, quae emolumento vel detrimento esse possunt bonarum literarum incrementis, circumspicis omnia. Vides thunnos adnantes, vides cetaria non piscatorum, sed librariorum saginae destinata. Auctoritate publica custos cooptatus es, et explorator harum rerum omnium. Ad Te deferuntur librorum musteorum, qui iam evolare cupiunt, indices recentissimi; Tu quae tanquam liberius dicta suspicionem movere summis magistratibus, quae abalienare animos eorum a coetu et commercio literario eoque adducere possint, ut aures praebeant clandestinis malevolorum et tenebrionum pus et venenum vomentium susurris, accurate admodum pendis in trutina, et si qua exciderint imprudentibus, ne noceant, litura quam maxime salutari caves, obtrectatorum

cavillationibus susque deque habitis; T u, ne pessimi nebulones, (librarios si appelles, flagitium commiseris) bonae notae librariis, quae illi argento redemerunt suo, suffurentur et typis clandestinis repetita numo addicant, ludentes in corio alieno, quantum in T e est, das operam sedulo, nullum tam pestilens sidus afflare posse rem literariam, quam illos optimorum auctorum adulteratores, certo persuasus. Quid multa? T e *Repertorii*, quod vocant, *universalis* editorem strenuum nec ulla librorum, qui undique ad T e defluunt, copia defatigandum, nil praeterit, nil fugit. Praesto T i b i sunt et a nutu T u o pendent omnia. Quantum igitur e sermonibus T u i s, Lipsiam adiens, et voluptatis capiam et utilitatis, per se apparet. Verum enimvero maiore adhuc me iam dudum mactasti cumulastique beneficio. Per longam annorum seriem in aedibus T u i s hospitio me excipis lautissimo, cubiculum, quod T i b i restat unicum (caetera enim iam dudum vindicavit sibi bibliotheca instructissima) benigne mihi offers et ut in corpusculo curando ne quid desit, una cum uxore T u a, femina lectissima iucundissimaque, prolixe praestas omnia. Ibi igitur cum post primos amplexus oculos defixi in os T u u m, et fronti exporrectae et hilari ne unam quidem per totum annum accessisse rugam, laetus deprehendi, exclamare lubet cum Catullo:

O quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve!

deinde, cum in eodem acquievimus lectulo, qui sermones, quam laeta colloquiorum iam libere evagantium nec epistolarum secreta prodita timentium materies!

Quae cum ita sint, vides A m i c e antistans mihi millibus trecentis, quanto, spe pulcherrima frustratus, contabescam desiderio, quod, interdictum interponente medico, W e i g e l i o meo, Viro Experientissimo, arctissimis amicitiae vinculis mihi coniuncto, cui summi numinis benignitate vitam me debere lubens gratusque hic quoque profiteor, ad solemnia, quae T i b i parantur semisaecularia celebranda provolare non possim. Discrucior animi, quod in eo temporis articulo, in quo omnium amicorum discipulorumque T u o r u m praesentium absentium personant vota pro salute T u a et incolumitate nuncupata, mihi domi desidendum et a publicis laetitiae significationibus, quas in amplissimo, hanc diem T i b i gratulantium consessu pronuntiare stabat sententia, prorsus abstinendum sit. Quid dicam, nisi iratos mihi esse deos deasque omnes, quod tanto me defraudarint gaudio. Unum restat, quo desiderii aculeos si non evellere, at retundere certe possim, literas ad T e mittere gratulatorias, sensuum meorum, quos coram allo-

quiis meis exprimere per valetudinem non licuit, sinceros et haud fucatos interpretes. Tu, qua es prolixa in me voluntate, aequi bonique consulas, quaeso, quae raptim et *αὐτοσχεδιασμένως* exaravi, temporum angustiis interclusus, quoniam diu speraveram, fore, ut praesens praesentem alloquerer, et quantis iam incedam laetitiis, palam testificarer. Pauci ex eo tempore, quo vetus illa inter nos coaluit amicitia, iam sunt superstites. Composuimus, eheu, tantum non omnes. Itaque religio mihi fuisset, silere senem in tanta iuniorum acclamatione. At idem, officio pietatis parum me satisfecisse, nisi formulis in hac re solemnibus addidissem aliquid e literis interioribus, quod et Te dignum esset, et a persona mea non alienum, probe intelligebam. Hic aliquamdiu haesitabundum commodum me subiit recordatio colloquii, quod superiore anno, cum apud Te essem, et Tu, qui Tuus est mos, matutino alloquio, quo, peream, si quid dulcius suaviusque mihi obtingere possit, me refocillares, Tecum habui de ridiculo antiquariorum, quorum ferax admodum patria est, et suo et aliorum otio abutentium, pruritu, ne dicam insania, monumentis priscae artis, quae temporum iniuria non dum interciderunt, sensum ubique obtrudere allegoricum sive, quo vocabulo in primis imperitorum aures permulcere solent talium formularum cantores, symbolicum. Quod cum cogitarem, venit in mentem fabula de Hercule Prodicio, recentiorum artificum picturis et caelaturis saepenumero expressa, sed quam exsulare a prisca arte, quamvis idonei harum rerum arbitri in illa quoque manifesta illius vestigia deprehendisse sibi visi sint, facile demonstrari posse putem. Quaeso igitur a Te, VIR ILLUSTRISSIME amicissimeque, hanc mihi des veniam, ut Te, doctorem iuventutis Germanicae, Pythagoreae illius literae, quae in duas secta vias tota pendet ab Hercule ad bivium constituto, monstratorem per quinquaginta annos prudentissimum fortissimumque, paucis, quae ex argumento, de quo liber singularis posset procudi, delibare potui, Te detineam. Video Te circumfusum ingenti laetantium gratulantiumque multitudine, tot orationibus carminibusque elegantissimorum, qui gloriae Tuae student, hominum excitatum, quo oculos auresque convertas, haerere fluctuabundum. Qui poteris igitur advertere animum huic qualicunque opellae? Sed haec me parum sollicitum habent. Succurrit additque animum senarius, qui omnibus in ore est, incerti poëtae:

*Ἐσθλοῦ μὲν ἀνδρὸς γῆρας εὐπροσήγορον.**)

*) Legitur hic versus apud Stobaeum lit. 117, vol. III. p. 440. ed. *Gaisford*. Poetae tragico acceptum refert *Valckenarius* ad Eurip. Hippolyt. 96, p. 176 b.

Garruli sunt senes, ideoque a patre poetarum cicadis perpetuo alarum stridore perstrepentibus compositi. Nam cum caetera membra exaruerint paullatim in senibus et prae macie rugas iam duxerint,*) lingua tamen illis in lubrico est.**) Obliviosi sunt senes, nec in iis, quae olim audiverunt, legeruntve, vacillante iam memoria, expromendis satis expediti. Quamquam senex es, haec duo tamen aetatis senilis vitia in Te non cadere, novit quilibet, qui Te nuper circumscripte, terse, memoriter loquentem aut disserentem audivit. At mihi res longe aliter cecidit. Cum vires ad actum rerum deficiant, imbecillitatem garrulitate compenso. Ignoscas igitur loquutori, verbis humidis et lapsantibus, ut cum Gellio meo loquar (N. Att. I, 15.) diffluenti, praesertim cum orationem magis elimatam et perpolitam haec, qua laboro, temporis penuria non capiat; des veniam ea tantum ad argumentum, quod tractandum sumsi, afferenti, quae labans et quae precario tantum mihi paret, memoria scribenti suppeditavit, omnibus praeterea adversariorum, ad quae corradenda et digerenda animum adiicere nunquam potui nec, ut verum dicam, volui, adminiculis plane destituto, memoriae scilicet, quam in corrobarata aetate olim expertus sum satis firmam, adhuc confiso.

Sed ut ordine et via nostra procedat disputatio, in has partes illam describere visum est. Prima de originibus narrationis Prodiciae de Hercule, cum ex ephebis exiisset, in deserto loco, quae via insistenda sit, meditanti erit disquisitio. Porro quo artificio in illa pertractanda usus sit Prodicus, disputabitur. Sermo deinde instituetur de variis fabulae decantatissimae pictorum et artificum ingenio exornandae conatibus. Addetur, si per temporis angustias exspatiari licebit amplius, Epimetrum de ephebo Voluptatem inter et mysteriorum Bacchicorum antistitam col-

---

*) Hinc Itali, in procudendis vocabulis ad animalium voces attemperatis valde ingeniosi, effecerunt vocem, qua confabulationes et nugas in primis seniles significant: *una ciccalata* (nugas curiales, vel gerras Siculas dixeris) eaque usi sumus ipsi in scriptiuncula de fascino, Eberti, bibliothecarii Regii Sylloges: *Ueberlieferungen* inscriptae P. II. p. 57. *γεροντικῶς* scilicet et iure nostro usi. Caeterum, ut obiter hoc addam, quae de cicadarum stridore ex attritu alarum orto vulgo fabulati sunt historiae naturalis scrutatores, nuper admodum pro ea, qua pollet, sagacitate indagavit, nec Aritotelis loco, nec fabulis, quae de cicada Eunomi citharoedi adjutrice feruntur, neglectis, doctissimus *Carus*, archiater Dresdensis et Regi Saxoniae a consiliis medicinae forensis, in libro, in quem, quae in Italico itinere observavit, congessit, his ipsis nundinis in lucem emittendo: *Analecten zur Naturwissenschaft gesammelt auf einer Reise durch Italien im Jahre* 1828 p. 104 ff.

**) *ἐν ὑγρῷ ἐστὶν ἡ γλῶσσα.* Theophrast. Charact. VII, 5. cum nota Casauboni p. 163.

locato, in pictura vasculi antiqui inedita. Vides, VIR ERUDITISSIME, quam modicam gustationem Tibi offeram, cum coena aliunde Tibi paretur splendida lautissimisque ferculis instructissima. Tralalitia sunt, fateor, vetustate exoleta, cum splendore tantae solemnitatis parum congruentia. Sed domi mihi haec nascuntur olera, nec metus est, ne, quae pro facultum mearum modulo paraverim, dente male superbo fastidias.

I.

Herculis Prodicii incunabula.

Nolo recoquere, quae inde a Medicaeorum, Florentiae ad clavum reipublicae sedentium, aetate, exeunte saeculo XV, a Gemistio Plethone, qui Platonicae Academiae magni Cosmi auspiciis constitutae conditor, orationem de Hercule Prodicio dignam habuit, quam eclogis suis insereret,*) usque ad recentissima tempora super nobilissimo Xenophontis loco, in quo Socratem fabulam de Hercule narrantem Aristippo inducit, memoriae prodita sunt et disputata. Quid enim attinet, Tibi, Vir Clarissime, ab omni rei librariae supellectili instructissimo, forulisque literaturae multifariam cum pulvisculo excussis ad digitos haec omnia enumeranti, veterem cantilenam occinere, proverbii vulgaris γλαῦκ᾽ ἐς Ἀθήνας penitus oblitum? Et otium nobis iam dudum hac in re fecerunt cum commentarii virorum doctorum, qui Xenophontis Memorabilia illustrarunt, et inde ab Hindenburgii animadversionibus, quae ad explicandum huius fabulae consilium et inventionem facerent, diligenter constiparunt,**) tum peculiares libelli, de hoc argumento conscripti ab elegantium literarum studiosis, periculum virium suarum, quid valerent humeri, tali disputatione factu-

*) Gemistius Pletho, cuius merita, postquam domicilium, relicta Graecia, Florentiae fixerat, post Hodium, Boernerum, Fabricium aliosque *Schoellius* V. Cl. nuper admodum in historia literaturae Graecae, Francogallice scripta, succincte exposuit Vol. VII. p. 311. (adde *Roscoe Life of Lorenzo de Medici* Vol. I. p. 36 sqq.) hanc quoque Xenophontis narrationem Eclogis suis inseruerat, quae exstant in Codice Monachiensi, commemoratae ab Hardtio, bibliothecae tum temporis subpraefecto, in *Aretini* Symbolis: *Beiträge zur Geschichte der Literatur und der Schäzze der Pfalzbaierschen Centralbibliotheken* Vol. I. Part. VI, p. 16. annexae. Optandum sane, ut haec a peritiore Codicum investigatore, quam Hardtius fuit (vide sis stricturas *Iacobsii* V. Cl.) cum textu Xenophonteo comparentur.

**) Agmine facto prodeunt commentatorum et imitatorum nomina in notis Zeunii a Schneidero repetitis p. 85.

ris.*) Sat habeo, scire, extra omnem controversiam positum videri illud, primum hanc fabulam innotuisse Graecis e recitatione Prodici Cei, sophistae illius aetatis longe celeberrimi, quo Socratem si non praeceptore, at monitore certe usum esse, ipso affirmante, satis constat. Atqui, relictis rebus omnibus, huc intendenda fuisset ingenii acies, hoc quaerendum, e quo fonte recitationis huius ubique per Graeciam promulgatae argumentum hauserit Prodicus. Vides, Vir Illustrissime, hic aquam haerere omnibus, qui ad fabularis historiae auctores, historicos, mythographos confugiunt. In his omnibus enim huius fabulae, a Sophista tam magnifice exornatae, nec vola, nec vestigium apparet. Nec Te fugit, frustra esse, si qui ex immensa fabularum congerie, quae in Herculis vita et laboribus consarcinandis conquirendisque a Graecis Latinisque auctoribus constipata est et coagmentata, Prodicium hoc figmentum derivari posse autument. Nullibi apparet. Nam si totum fabulae Heracleae orbem, secundum Apollodori mythologiam e Pherecyde aliisque in compendium redactam, et Diodori narrationem, in qua, quod Heynius iam demonstravit in Commentatione secunda de fontibus Diodori (in *Commentatt. Soc. Gotting.* T. VII.) exscripsit Dionysium Milesium, accuratius inspicias, in his tali commento locum nullum relictum esse, satis liquet.**) Et abhorret hoc totum allegoricae fictionis genus

---

*) Huc referenda in primis est dissertatio Gottl. Aug. *Cubaei*, quae titulum prae se fert: *Xenophontis Hercules Prodicius et Silii Italici Scipio, perpetua nota illustrati,* praemissa de Prodico dissertatione Lipsiae, 1797, 8. Specimen lectionis variae haud contemnendum. Congessit multo labore, quae reperiri potuerunt. Sed desideratur acumen et iudicium subtilius, quorsum singula pertineant, pulchre discernens.

**) Duplex, ni fallor, ratio valuit apud vetustissimos poetas cyclicos et, qui illorum vestigia premerent, historiarum compilatores antiquissimos (λογογράφους V. *Creuzeri* V. Ill. *historische Kunst der Griechen* p. 70 sqq.) in Herculis corroborata iam aetate prima fortitudinis tirocinia ponentis iuventute enarranda. Fuerunt, qui post primam, qua puerilis aetas informari solet, institutionem propter mores inconditos et praeceptoribus, quibus uteretur, exitiabiles, ab Amphitruone in agrum, bubulcorum armenta pascentium nempe magistrum, ablegatum esse traderent. Innuit hoc Apollodorus II, 4. s. 9. 3. *Δείσας Ἀμφιτρύων — ἔπεμψεν αὐτὸν εἰς τὰ βουφόρβια.* Moles hic corporis in immensum aucta. Athletam vides athletarumque olim antistitem geniumque tutelarem evasurum. Nam duo paulatim coaluerunt in uno Hercule Thebano adversis frontibus pugnantia, Hercules palaestrita et athletarum praesul, et Hercules Musageta. Alteram rationem, qua famae Herculis, in gymnasiorum pulvere et ludi literarii exercitationibus probe subacti, magis consulitur, sequitur Diodorus, apud quem statim post Orchomenios debellatos, oraculi iussu ad Eurystheum proficiscitur. Deinde laboribus ab illo imperatis in moestitiam incidisse et ingenti dolore oppressus fuisse dici-

a poëtis antiquioribus, Panyasi, Pisandro aliisque Heraclearum conditoribus, de quibus, quae recentiores addant, pauca reliquit in pulcherrimo de poetis Cyclicis excursu ad Aeneida Heynius, Vir summus, quem passim iam alto despici supercilio a recentiorum, identidem illud Ἡμεῖς μὲν πατέρων μέγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽ εἶναι exclamantium iactantia, inique ferimus. Itaque aut Prodicus ipse e suo ingenio confinxit omnia, aut unde fabulas, quae narrationum involucris oblectant et excolunt auditorum animos, ortae esse videntur pleraeque omnes, ex Orientis plagis deducta adscititiis artis rhetoricae pigmentis exornavit perpolivitque. Perplacet igitur, quod aliis iam, nuperque admodum Buttmanno, ingenioso admodum Herculis mythici interpreti, venit in mentem, mythi orientalis hic deprehendi posse vestigia, acute divinanti.*) Sed nisi grave est, BECKI CA-

---

tur, quod Eurystheo obnoxius ab eius nutu penderet. Secessit igitur πατὸν ἀνθρώπων ἀλεείνων in solitudinem, ubi in rabiem agitur, novercalibus scilicet Iunonis odiis. Diod. IV, 11. p. 256. *Wess.* De Virtutis et Ignaviae certamine, cuinam Hercules sese addicat, altum apud utrumque silentium. Verumtamen temporis momentum, cui Prodicus in integra recitatione inhaeserit, in quo nempe ἐξελθὼν εἰς ἡσυχίαν (verba sunt Xenophontis) meditabundus consederit, manifesto apparet. Factum id esse existimabimus aut cum armenta pasceret, aut cum post Eurysthei imperia ingens illum opprimeret aegritudo. Posterius propius abest a vero. Observandum etiam et memoratu dignum, quod Aristides, rhetor pro captu aetatis suae doctissimus et fabularum peritissimus in Hymno V, quo laudes Herculis canit eiusque res gestas ad coelum effert Vol. I. p. 58 — 62. edit. *Dindorf.* optionem Herculis, dignam profecto, quam prae reliquis seligeret et praeconiis suis extolleret, plane praetermisit silentio. Probe enim intelligebat Sophista eruditissimus, obtrectatorum reprehensionem effugere se non posse, si commenta eiusmodi laudibus eius ex orbe antiquo fabularum petitis inferciret.

*) *Buttmannus*, qua fuit sagacitate, Herculis Prodicii primas lineas ex Oriente deduci posse, pulchre monuit in recitatione coram sociis academiae Berolinensis habita 1810, et nunc Syllogae inserta, cui nomen fecit *Mythologi* Vol. I. p. 254. seq. in ea tamen sententiam suam eruditis parum probans, quod nimis argutatur in sensu, quem dicunt, ethico toti fabulae de Hercule affingendo. Manet firmoque talo stat illud, fundum omnis Heracleae esse Herculem Tyrium, qui Phoenicum navigationibus et commerciis primus innotuit Graecis. Iam vero Caras, sub quorum nomine latitant Phoenices, tenuisse olim cum reliquis Cycladibus Ceam, Prodici patriam, docuit nuper adhuc Illust. *Bröndstedt* in *Reise und Untersuchungen von Griechenland* Vol, I. p. 38. (qui egit de Prodico quoque p. 68). Quidni aliqua ex antiquissimis insulae incolis ad illum propagata esse potuit notitia nostrae affinis fabulae? Sed haec parum liquent. Teneamus illud, Asiam superiorem, Milesiarum fabularum nutricem (quod scite iam monstravit Daniel *Huetius*) promtissimam, mirifice semper delectatam esse commentis eiusmodi allegoricis. Nec est, quod diu quaeramus, aut ad recentiores Persarum allegorias narrationum involucro tectas consectantium fictiones confugiamus (*die allegorischen Romane* v. Hammerum in *Persiche Redekünste* p. 275.) Cuius

RISSIME, hanc mihi commoda paulisper operam, ut quid sibi voluerit hac narratione Prodicus et quo pacto Herculem suum in scenam induxerit, ad quam ἐπίδειξιν fragmentum illud, quod

---

memoriae a prima inde iuventute non obversantur Voluptatis et Virtutis imagines in Proverbiis, quae Salomoni, sexcentis dictis factisque memorabilibus per universum Orientem nobilitato, tribuuntur cap. VII et VIII. Comparavit nobilissimam, eandemque, quod bene monuit *Zieglerus* ad versionem vernaculam Proverbiorum castissimam προσωποποιίαν Heumannus in nota Bibliothecae Fabricianae adscripta T. II. p. 719. *Harles.* et diligentissimus in his investigandis *Gurlittius*, (cuius opuscula, ut hoc obiter moneamus, bonae frugis plenissima ne negligenter sparsa pereant, curae cordique sit collegae eius, qui et vitam eius nuper scripsit, Müllero,) in commentatione Magdeburgi edita: *Fragmente einer archaeologischen Abhandlung über Hercules* p. 13. Multa in illa Salomonis adumbratione duarum feminarum valde inter se discrepantium comparari possunt cum illo, quam Prodici ingenio debemus, fabulae iucundissimae choragio. Sic pulchre convenit, qui apud Salomonem cap. VII. 16. 17. exponitur vestium stragularum (σινδόνων v. *Schultensium* in *Comment.* p. 66.) et suffimentorum apparatus cum lectis Asiatico luxu stratis apud Xenophontem §. 30. Pari modo, quae magnifice pollicetur Sophia Salomonis de prudentia, regibus utilissima, ad amussim respondent iis, quae Virtus Herculi promittit. Quid, quod fuerunt, qui antiquissima huius allegoriae reperisse sibi viderentur vestigia in malitia ad fores scelerati hominis excubantis in narratione Mosaica Genes. IV, 7. v. *Funkii Symbolae ad interpretationem Codicis sacri* p. 62. Respondit mihi Iosephus *Hammerus,* amicus triginta quinque annorum usu mihi spectatissimus, in omni literatura Orientalium versatissimus, eiusque interpres doctissimus, per literas a me interrogatus, si quid in epicis Persarum Arabumque carminibus illi occurrisset, quod componi queat cum Hercule Prodicio, sibi, quod recte comparari possit, non esse in promtu, nihil tamen esse usitatius in scriptis Orientalium, quam duplicis viae, quam homo ingrediatur, vel ad virtutis praemia, vel ad voluptatis lenocinia arripienda, commemorationem. In votis saepe fuit, ut, quod Goethius, pro incredibili, quae in eo est, ingenii versatilitate undique sibi decerpens laureolam, iam periclitatus est in opere, cui titulum fecit *Westöstlicher Divan,* ut poësin Moslemicam nostris auribus attemperaret, sed, destitutus plane interiore Orientis cognitione doctorum suffragia ferre non potuit, a viro orientalium linguarum et Graeci sermonis apprime gnaro ita administraretur, ut Sophismi, quem vocant, Orientalis, de quo exstat praeclarus liber Tholuckii, post Hammeri egregias observationes in libro: *Geschichte der schönen Redekünste Persiens und Blüthenlese* (Vindob. 1818. 4.) p. 188. seqq. 341. seqq. placita cum fabulis et apologis universae Asiae commissa documento essent, pluscula usque ad antiquissima humanitatis initia, quibus Graecia ad mansuetiorem vitae cultum imbuta fuit, revocanda esse. Non ignoramus, quos Goerresius et qui in verba eius iurarunt, in his inculcandis fluctus moverint. Sed valde metuimus, ut hac ratione res ad liquidum perduci possit, quae non ingenii lusibus, sed accuratissima monumentorum, ab adversariis non interpolatorum, exploratione expediri potest. Magnum in his discernendis acumen ostendit Ritterus, V. Cl. in libro novissimo; *Geschichte der Philosophie alter Zeit* Vol. I. p. 155. seqq.

nobis servavit Xenophon, pertinuerit, paulo copiosius expediam. Enimvero, ut via et ordine procedant omnia, praefanda sunt quaedam de ipso Prodico, Thebis illa recitanti, cui Xenophontem, cum ibi in vinculis teneretur, vade dato, aures praebuisse refert Philostratus.*)

Nam ut in universum haec praemittam, dici non potest, quantam iacturam fecerimus, deperditis Sophistarum Socratis aetate florentium scriptis tantum non omnibus. Multum e sophistarum arte profecisse Lysiam, Isocratem, oratores, qui Graeciam illustrarunt, omnes, ex ipso Cicerone et Quinctiliano, quorum tamen aetate scripta illa aut intercidisse iam aut parum lecta fuisse, coniectura assequi possumus satis probabili, manifesto apparet, idque collegimus etiam e Dionysii Halicarnassensis praeclara epistola ad Pompeium scripta.**)

Dolendum vero in primis, orationes, (*λόγους* Diog. Laert.

---

*) In vita Prodici in vitis Sophistarum I, 12. p. 496. Olear., ubi addit, Xenophontem nobilissimam Prodici *ῥῆσιν* de optione Herculis in usum suum convertere haud gravatum esse, *οὐκ ἀπηξίωσε μὴ οὐχὶ ἑρμηνεῦσαι.* Incidit aliquando suspicio Philostratum scripsisse *μεθερμηνεῦσαι*, id quod apte diceretur de Xenophontis artificio, Prodici *καλλιλογίαν* (ut appellat Max. Tyrius XXIII. p. 437. *Reisk.*) Attica suavitate et munditie, sed sine ullo cultu orationis meretricio, Socratis personae adaptantis.

**) Iudices aequi in Sophistarum causa disceptanda sedere hodie non possumus, ex adversariorum tantum et derisorum accusationibus sententiam laturi. Corrupti sunt iuvenum animi praestigiis orationum ad voluptates quoque commendandas compositarum. Tyrannidi patrocinati et cupiditatibus velificati sunt Sophistae. Quis neget? At divite ingenii vena, memoria rerum omnium capacissima et expromta, animi dotibus praeclaris, eloquentia omnibus numeris absoluta ita exsplenduerunt, ut, quantum possit facundia et os rotundum, illos demum ostendisse, consentaneum sit. Multa aliter diiudicaremus, nec calculum adiiceremus iis, quae fuse de iis disputavit Meinersius, ad quem nunc omnes provocant, si exemplaria illorum legerentur, id quod patet e Philostrato in Vit. Soph. p. 481, praecipue vero ex epistola eius XIII. ad Iuliam Augustam scripta p. 919. In primis extemporalem dicendi facultatem (*τὸ αὐτοσχεδιάζειν* Philostr. p. 482.) a sophistarum scholis ad reliquos oratores transiisse, cum in illa praecellerent omnibus (adi sis *Cresollium* in *theatro Rhetorum,* immensae lectionis opere, III, 11. p. 217. s.) non est, quod dubitemus. Sed copiose et acute de his disseruit, in his aestumandis iudex minime cupidus, limitatissimae historiae Graecae auctor, *Gillius* in nota praeclara ad Panegyricum Isocratis, in versione Lysiae et Isocratis orationes captui popularium suorum accommodante: *the Orations of Lysias and Isocrates translated from the Greek with some occount of their Lives* (London 1772 in 4.) p. 14 — 17. Magnam sane a nobis initurus esset gratiam vir iuvenis argumentum, in quo enitescat eius ingenium circumspiciens, si totum hoc de Sophistis caput pensitatius, quam hactenus factum est, sibi declarandum sumeret, additis, quae ubicunque indagari poterunt, eorum fragmentis.

IX, 50.) quas de scripto recitare solebat Prodicus, periisse ad unam omnes, si a fragmentis quae Aeschines Socraticus nobis servavit et Xenophon, discesseris. Nam ex iis, quae in Platone passim occurrunt obiter commemorata, parum proficimus.*) Caeteris palmam praeripuisse videtur inventionis laude et sapientia Prodicus, ut in proverbium adeo abierit illud *Προδίκου σοφώτερος*. Nec cadit in fragmentum illud, quod a Xenophonte servatum velut unica e tanto naufragio tabula ad nos pervenit, illud, quod dici solet, ex unguiculis leonem. Multum enim abest, ut, quod Xenophon tanquam a Socrate ipso exceptum nobis tradidit,**) omnes veneres et lepores, omnia lumina et flosculos, quibus distinxerat Sophista recitationem suam, bona fide nobis dinumeret. Suo ingenio et nativa pulchritudine tractavit argumentum illud Xenophon,***) Socratem loquentem inducens, idque aperte prae se fert ipse in fine orationis: *Οὕτω πῶς διώκει* (lectio Codd. haud dubie genuina, magnis duumviris T. Hemsterhusio et D. Ruhnkenio probata et dudum ab editoribus in orationis contextum, postliminio reducenda), *Πρόδικος τὴν Ἡράκ. παίδευσιν ἐκόσμησε μέντοι καὶ τὰς γνώμας ἔτι μεγαλειοτέροις ῥήμασιν, ἢ ἐγὼ νῦν.* Bene iam monuit *Wielandus*, emunctae naris, si quis alius, interpres ad versionem, quam dedit in *Museo Attico* Vol. III. p. 131. Xenophontem nos hic legere, non Prodicum. Sic Prodicus omnes haud dubie eloquentiae suae lecythos consumserat in Voluptatis (nam *Κάκιαν* eandem esse, quam *Ἡδονὴν* quis dubitet? Vid. Clem. Alexandr. Strom. II. p. 406. D. *Sylb.*) cultu et ornatu graphice adumbrando, e quibus pauca tantum attigit Xenophon. Castigavit tecto nomine Prodicus oblique Persarum luxum et mollitiem, quod vel ex uno loco de lectis magnifice exstructis apparet, comparatione facta cum iis, quae narrantur in Cyropaedia VIII, 8. 16. et in Dinonis fragmentis apud Athenaeum XIII, 2. p. 514. A. Nec, si quis penitius haec inspexerit, aciem ingenii eius effugere poterit, latere ubique in hac narratione, quam Socrates Aristippo mollitie iam diffluenti accommodavit, aculeos *εἰρωνείας* Socraticae. Huc referendum esse puto illud, quod interponit interdum orationi suae Socrates, *ὥς φησι Πρόδι-*

---

*) Aeschines Dial. III, 6. haec, quae Socrates accepta retulit Prodico, appellat *ἀπηχήματα Προδίκου* (*Nachklänge*) de qua vocabuli significatione pulchre egit T o u p i u s ad Longin. IX, 2. p. 269. ed. *Weisk.*

**) Audivisse se Prodicum, Socrates ubique profitetur, v. c. in Platonis Menone c. 24. (p. 75 E.)

***) Atque hoc est, quod Xenophon in enarranda fabula Herculis contendisse dicitur cum Prodico apud Philostratum cp. XIII. p. 919. ὁ τοῦ Γρύλλου φιλοτιμοῦται πρὸς τὸν τοῦ Προδίκου Ἡρακλέα.

κος (quod eodem redit, quo Horatianum illud II. Serm. II. 2. „Non meus hic sermo est, sed quod praecepit Ofellus.“). *) Et tota illa virtutis peroratio §. 33. redolet Socratis comitatem, Aristippum ad voluptates proclivem in viam deducturi. Idem probe iam intellexerunt Graeci posteriores, apud quos frequens Herculis huius Xenophontei notatio, nulla Prodici mentione facta occurrit. Sic, ut uno iam defungamur exemplo, Athenaeus XII, 1, p. 510 C. ubi de Venere lubidinibus mancipia sua devinciente sermo est, non Prodicum, sed Xenophontem fabulam de Hercule confinxisse refert. **) Quodsi huc attendisset animum *Meinersius* in vita et studiis Sophistarum explicandis multum desudans, in libro laudatissimo (*Geschichte der Wissenschaften in Griechenland* T. II. p. 202.) non laborasset in vindicando Socratis candore, quod tantum tribuisset Sophistae, ut magnis laudibus eius recitationem extolleret eamque ad verbum fere repeteret. Quae cum ita sint, nescio, an operae pretium facturus sim, si de genuino Prodici Chii foetu, quomodo is comparatus fuerit, quid sentiam, breviter exponam. TUUM erit, BECKI Eruditissime, iudicare, an iis, quae in medium protulerim, calculum Tuum addere possis.

---

*) Hinc lux affulget etiam verbo vexatissimo ὑποκοριζόμενος, quo utitur *Κακία* §.26. cuius usus in eo loco cum plane abhorreat a consuetudine loquendi Atticorum, totus locus de mendo suspectus fuit Valckenario, Toupio et Ruhnkenio, quibus fasces submittunt Critici, ut constat e nota Ruhnkenii ad *Timaei Glossar.* p. 266. Nae, parum viderunt, qui Socratem hic de industria aliam plane significationem subiecisse illi vocabulo, ut Voluptatem semet ipsam deridentem, nobis quoque deridendam propinaret, non intellexerunt. Nimirum Socrates suum esse putavit, salse perstringere Prodici in distinguendis vocabulis eorumque discriminibus indagandis acumen dicam an *περιεργίαν*, in singulari recitatione, pro qua quinquaginta drachmas (ad *Hasii*, collegae amicissimi, computum, nostrae monetae 12 Thlr. 2 gr.) exigebat ab auditoribus, (hinc ἐπίδειξις πεντηκοντάδραχμος dicta Platoni in Cratylo c. 2. p. 5. *Heindorf.* cum Aristotelis loco Rhet. III, 14. comparando. Frequens eius disputationis mentio apud Platonem, cuius locos collegit *Heindorfius* ad Charmidem c. 24. p. 84.) Hoc igitur praepostera illa verbi ὑποκορίζεσθαι significatione ridens innuere voluit sapientissimus Graecorum.

**) Verba sunt: καί μοι δοκεῖ καὶ ὁ καλὸς Ξενοφῶν τὸν περὶ τὸν Ἡρακλέα καὶ τὴν Ἀρετὴν μῦθον ἐντεῦθεν πεπλακέναι. Itaque Cicero, qui bis mentionem huius fabulae iniecit, modo Herculem Prodicium appellat de Off. I, 32. modo Xenophonteum, ad Div. V, 12. Quo referendus est etiam titulus satirae Menippeae a M. Varrone scriptae, *Herculis Socratici* nomine praefixo, cuius duo fragmenta exstant apud Nonium s. v. *sutrina* p. 168 et s. v. *chlamys* et *tapete* p. 539. 542. edit. *Merceri* (in fragmentis Varronis p. 283. *Bip.*). Ultimum fragmentum ingeniose restituit *Ruhnkenius* ad Memorabilia p. 228. ed. *Ernest.*

II.

Conjecturae de vera encomii, quod Prodicus de Hercule scripsit, specie et quot partibus illud descriptum fuerit.

Dispiciamus igitur, quomodo revera comparatum fuerit illud Herculis elogium a Prodico pronuntiatum (quod *Ἡρακλέους ἔπαινον* simpliciter appellat Plato in Symposio c. 5. p. 35. *Stallbaum*). Senserat Sophista callidissimus, fabula sibi opus esse in actus apte descripta et per aliquot dierum spatia continuanda, si inescare vellet et aucupari auditores undique confluentes, et mercedem pro ista aurium titillatione exigere. Itaque Herculem, cunctis stirpis Doricae gentibus acceptissimum, *ἀρχηγέτην* quippe heroumque, quos ignea virtus ad aethera evexit, facile principem, tot hymnis, tot carminibus epicis, tot templis et diebus festis celebratum, sibi eligendum esse ratus, *ἐπίδειξιν* ex hoc argumento concinnavit luculentissimam. Ponamus igitur, in tres partes totam declamationem descriptam eum ita disposuisse, ut in prima Herculem consilia de ratione vitae suae instituenda agitantem Virtutem inter et Voluptatem collocaret, addita procul dubio duplicis viae, quae ex Hesiodi carminibus iam in ore erat toti populo, nova commemoratione, in altera Voluptatis illi, instimulante Iunone, novas subinde insidias struentis et Omphales illecebris lenocinantis, cum Virtute, nunquam a latere eius discedente, certamina exponeret, in tertia post rogum in Oeta monte incensum, in Olympum ad deos illum eveheret, deducente illuc Virtute et Heben illi conciliante. In quo totius fabulae complexu, quas poetae Heraclearum conditores et Mythographi partes Minervae tribuissent, ad *Ἀρετὴν* translatas esse, per se apparet. Et haec est vera indoles doctrinae a Sophistis sparsae, qui Deos, quos vulgus coleret, virtutes tantum esse et mera nomina, ut aperte demonstrarent, rerum suarum sategerunt, Athei ob id appellati, librisque ob id publice concrematis magna flagrantes invidia. Haec igitur integra fuit Prodici fabula, tripartito divisa, verborumque luminibus, imaginum illecebris mirifice adornata, de qua insignis exstat locus apud Philostratum in praefatione ad Vitas Sophistarum iam supra laudata. En verba ipsa: *Τοῦ λόγου διὰ πλειόνων συντιθέντος* (verba notatu dignissima, e quibus colligere possumus, *σύγγραμμα* illud, quod Xenophon notat, per plures partes descriptum et dispositum fuisse, idque *καταλογάδην* factum esse, diserte pronuntiat Plato in Symposio c. 5.) *ἔμμισθον ἐπίδειξιν ἐποιεῖτο, περιφοιτῶν τὰ ἄστη, ἐφ᾽ οἷς μεγάλων μὲν ἠξιοῦτο, παρὰ Θηβαίων, πλειόνων δ᾽ ἐν Λακεδαίμονι, ὡς*

ἐς τὸ συμφέρον τῶν νέων ἀναδιδάσκων ταῦτα. Locus quantivis pretii. Sed omisit tamen aut parum intellexit rationem, qui factum sit, ut tantopere placeret Thebanis et Spartanis. Quis nescit, Herculem, totius gentis Doricae *γενάρχαν*, ut vetus habet apud Fourmontium inscriptio, Thebis natum et totius Peloponnesi per Heraclidarum prosapiam conditorem fuisse. Iactitabant hunc generis sui auctorem omnes Doricae stirpis populi.*) Quam igitur vim ad animos senum adolescentiumque alliciendos detinendosque habuisse praeconium illud Prodici oppidatim pronuntiatum, putabimus?

Video, BECKI CLARISSIME, Te subridere, ut soles, si quid occurrit legenti, de quo addubites, et audio TE monentem: Probabilia tu narras, sed testibus opus est et locis disertis, unde nobis constet, tali orationis tripartito divisae anfractu, istis ambagibus esse usum Prodicum; desidero testimonia. Fateor, disertum mihi ex antiquo scriptore testimonium in promtu non esse. Laudabo, si quis me felicior illud repererit, et notissimum illud: *Κοινὸς Ἑρμῆς, in commune lucrum*, illi acclamabo. Sed est tamen, quod confirmare poterit et constabilire opinionem meam. Triumphabo, si Tibi omnem hac re scrupulum exemtum esse, qui et me male habet, affirmes, mihique adstipuleris. Nimirum e Suida s. v. *Ὧραι* T. II. p. 761. et s. v. *Πρόδικος* T. III. p. 179. patet, extitisse adhuc illa aetate, qua scripsit auctor, unde areolas suas irrigavit Lexicographus, librum integrum a Prodico, ut fama ferebat, evulgatum; cui titulum fecerat *Ὧραι,* in quo totam illam de Hercule fabulam pertractaverat. Audiamus ipsa verba: *Φέρεται δὲ καὶ βιβλίον Προδίκου, ἐπιγραφόμενον Ὧραι, ἐν ᾧ πεποίηκε τῇ Ἀρετῇ καὶ τῇ Κακίᾳ συντυγχάνοντα καὶ καλούσας ἑκατέρας ἐπὶ τὰ ἤθη αὐτῶν· καὶ προςκλῖναι τῇ Ἀρετῇ τὸν Ἡρακλέα καὶ τοὺς ἐκείνης ἱδρῶτας προκρῖναι τῶν προςκαιρῶν τῆς Κακίας ἡδονῶν.* Atque hic primum probe notandum est illud, sermonem hic esse de eo, quod postquam vicerat rationibus suis Virtus, evenerit. Dicitur enim Hercules *ἱδρῶτας,* (solemni de Herculis laboribus vocabulo, quos singulos in eodem apologo commemorando posuit Philostrati Gymnosophista in V. A. T. VI, 10. p. 240.) aerumnas, magno sudore exantlandas, fluxis vitae effeminatae anteposuisse illecebris. Nonne

---

*) Pulcherrime id nuper docuit Odofredus *Müllerus*, subtiliter admodum et accurate disputans de originibus cultus, quo Herculem prosequutae sunt omnes Doricae stirpis civitates, in libro: *Dores* inscripto Vol. I. p. 411—458. Adde *Wachsmuthii* nostri, sagacissimi archaeologiae Graecae scrutatoris, notationes, in libro, qui omnes priscae Graeciae thesauros nobis recludit, perquam frugifero: *Hellenische Alterthumskunde* Vol. I. p. 146 seq.

igitur vero simillimum est, auctorem, quem exscripsit Suidas et scholiastes Aristophanis, unde tamen sua duxisse Suidam falso existimant, integrum adhuc legisse librum Prodici, in quo per varios actus Herculis res gestae deductae fuerant et celebratae? Sed mirari subit, quam ob caussam Horarum nomine has laudes Herculis inscripserit Prodicus. Aut egregie fallimur, aut tribus Horis (de quatuor illa tempestate ne per somnium quidem cogitare poterimus) partes impertitus erat Prodicus, ut in vero dramate, vel *motorias*, si saltatricularum more choreas ab illis ductas fuisse, dramatis ipsius exodia, vel *statarias*, si unicuique actui praefantes aut quid nunc sequatur, praemittentes, verbo dicam, *προλογιζούσας* induxisset. Primum igitur animus advertendus est ad id, quod e multis veterum monumentis satis constat, pompis solemnibus, mimicis saltationibus et ludis scenicis saepenumero adhibitas esse puellas, quae Horas saltarent. Apprime huc facit locus in symposio Xenophontis, in quo Socrates agyrtae vel saltationum magistro Syracusano suadet, ut gregem suum, puero pulcherrimo et duabus puellis, saltatrice scilicet et tibicina compositum, ad tibiam iubeat choreas ducere iis gestibus, quibus Gratiae, *Horae* et Nymphae depingantur. *) Et in promtu sunt exempla alia. **)

---

*) *Σχήματα, ἐν οἷς Χάριτές τε καὶ Ὧραι καὶ Νύμφαι γράφονται.* Sympos. c. VII. §. 5. Perperam a Schneidero laudatum ibi esse Platonis locum ab hoc saltationis genere plane alienum, monuit editor recentissimus, doctissimusque Symposii interpres, *Bornemannus* p. 181. Sed cum bis ipse hunc locum tractaverim in disquisitionibus archaeologicis, *Andeutungen* p. 102, et in Commentario de pictura veterum, *Ideen zur Archaeologie der Malerei* p. 191; vetera recoquendi facile supersedebo opera.

**) Ex iis, quae de magnis Dionysiis *τοῖς ἐν ἄστει*, mense Anthesterione celebratis, memoriae prodita legimus, diligentissime explorata a magno *Ruhnkenio* in Supplementis ad Hesych. T. I. c. 1000 sqq. nemini dubium esse potest, in scenam prodiise, qui choros *ἐγκυκλίους* et dithyrambicos, (de quibus vide sis, quos laudat Beckius noster ad Aristophanis Aves 1403.,) saltarent iuvenes personatos, qui Horarum et Nympharum et Baccharum partes agerent sibi impositas. Manifesto hoc apparet e carmine nobilissimo Simonidis in Analect. T. I. p. 141. LXX. ubi acute monuit elegantissimus *Iacobsius* in animadversionibus p. 251. contra Schneiderum, Horas revera intelligendas esse, quae victores in choris dithyrambicis coronis taeniisque redimirent, id quod aperte demonstrari potest e loco, quem non attigit Iocobsius, Philostrati in V. A. T. IV, 21. p. 151. Acerrime ibi invehitur Apollonius in Atheniensium mollitiem, dum Lenaea celebrarentur, effeminatis saltationibus, ab iis, qui ex ephebis excesserant, saltandis, indulgentium. Verba sunt: *αὐλοῦ ὑποσημήναντος λυγισμοὺς ὀρχοῦνται — τὰ μὲν ὡς Ὧραι, τὰ δὲ ὡς Νύμφαι, τὰ δὲ ὡς Βάκχαι πράττουσι.* Sed dignus est locus, qui totus conferatur. Nam (quod nonnulli hodie negarunt, refragante licet tota antiquitate Attica,) puellas plane exsulasse e theatris, quando chori dithyrambici in-

Praesto sunt anaglypha complura, Horarum saltationem exprimentia, quae, quam frequens earum in theatris fuerit usus, quippe quas in personis tragicis enumeret Pollux IV, 142. argumento nobis sunt. *) Et desideratur adhuc post Winckelmanni et Zoëgae curas totum fabularum orbem, qui Horarum monumenta continet, complexas disquisitio super hoc argumento subtilior, quae a vocis Ὥρα significatione, latissime patente profecta (cf. *Hindenburgius* in *animadv.* ad Xenoph. Memorab. p. 170. seqq. et qui perspicue nuper rem totam exposuit *Idlerus* V. Cl. *Handbuch der Chronologie* Vol. I. p. 238 seqq.) rem usque ad *felicitatem temporum* in numis imperatorum Romanorum expressum deducat. His praemissis, facile est ad animadvertendum, quo pacto Prodicus in recitatione de Herculis laudibus Horas in partes vocare, earumque nomen illi praefigere potuerit. Observandum etiam, Prodicum fortasse

---

ducerentur a choragis, efficitur ex illo, choros istiusmodi semper a iuvenibus, nunquam a puellis ductos esse, et facit huc, quod in sacramento, quo περίπολοι, postquam ex ephebis excesserant adolescentes Attici, obstringebantur, Horae tres, antiquis nominibus Auxo, Carpo et Hegemone, occurrunt apud Pollucem VIII, 106. Nam, non ad Gratias, ut Kuhnius aliique censent, sed ad Horas tria haec referenda sunt nomina, nec obstat, si recte rem perpenderis, locus Pausaniae IX, 35. Sed comparandum in primis fragmentum Philochori de cultu Horarum apud Athenienses ab Athenaeo XIV. p. 656. A. c. 72. p. 387. *Schweigh.* nobis servatum. (Vid. Fragmenta Philochori a Siebelisio edita p. 90.) In universum probe notanda est duplex Horarum genealogia, a *Winckelmanno* in copiosa de Horis dissertatione in *Monumentis ineditis* p. 57. seq. parum distincta. Themidos filiae aut duae, aut tres tantum fuerant, sed Anni (τοῦ Λυκάβαντος) filiae, ad quatuor anni tempestates relatae, illis antiquioribus longe posteriores et in pompis Dionysiacis deductae (ut in illa Ptolemaei Philadelphi apud Athenaeum) semper quaternario numero conspiciuntur. Nitidissima quatuor Horarum, coelo descendentium et consertis utrinque manibus ad mortales se convertentium imago est in Imaginibus Philostrati II, 34. cum *Welckeri* nota p. 571. Hoc apparet, Horarum, lectos geniales sternentium, deabus genitalibus in Iovis et Iunonis simulacris additarum, et choreas saltantium plena esse omnia in monumentis veterum.

*) Marmor praestantissimum, ad remotiorem spectans antiquitatem, si speciem formarum consideres, est ara Borghesia trilatera, quam bis illustravit Enn. Quir. Viscontius ad *Mus. Pio-Clementinum* T. VI. p. 86 et in *monumentis Gabinis* tav. aggiunte C. p. 217. Hic Horas conspicis, ramusculos et flores manu praeferentes et cum Gratiis et Ilithyiis coniunctas. Sed saltantes easdem ostendunt tria anaglypha in villa Albanorum olim prostantia et a doctissimo Georgio Zoëga illustrata in *Bassi rilievi antichi* tav. XCIV — XCVI. cum commentario copiosissimo Vol. II. p. 219—229. Duodecim ibi commemorantur anaglypha eiusdem argumenti, unde saltationes Horarum choros ducentium θυμελικάς frequentissimas fuisse in scena Attica liquido patet.

fabulam, quam Cratinus eodem fere tempore*) docuit, Ὧραι appellatam,**) cognitam habuisse et perspectam, ad quam respicere potuit, in totius mimi, quem fingeret, descriptione. Probabilia dicimus, certis testimoniis, parum firmiter innixa. Sed nosti, Vir Praestantissime, nos in his rerum antiquarum tenebris et inextricabili obscuritate, quando unicuique in tenebris micandum est, si vel minima lux alicunde affulserit, exsultare laetitia, clamantes, nos reperisse, quod pueri in fabis sibi reperisse videntur. Nam quis aliam fuisse causam, qua inductus Horarum nomen recitationi suae imposuerit Prodicus, nobis praestabit? Nec defuerunt et patrum et nostra memoria, qui varia de hoc nomine, quod praefixerat Prodicus, hariolarentur, modo ad Herculem confirmata iam iuventute (ἐν ὥρᾳ) ad labores perficiendos sese accingentem, modo ad diversos aetatis gradus, quos oratione complexus fuerit Sophista, titulum referentes.*) Sed de his in utramque partem disputari posse, me non fugit. Illud vero extra omnem controversiam

---

*) Floruisse dicitur Cratinus et ter vicisse in Comoedia Olymp. 86. Prodicum referunt ad eandem Olympiadem. Adi sis Clintoni *Fastos Hellenicos*, *Grecian Chronology*. p. 55. 57 ed. prior.

**) Frequens huius fabulae mentio apud Grammaticos Lexicographosque veteres. Vid. Fabricius Harlesianus T. II. p. 434. Egisse in ea fabula Comicum dicacissimum de felicitate agri Attici, et quos fructus singulis anni partibus funderet, coniectura est T. *Hemsterhusii* iuvenis adhuc, in nota ad Pollucem X, 76. Nec multum abludit a vero, ideo hoc nomen illi fabulae inditum fuisse, quod Horis chori partes in illa demandaverat Comicus, a quo plerumque harum fabularum nomen. Salibus comicis perfricuisse in feminas insurgentem Cratinum corruptos illarum mores patet e vocabulo παρατιλτριῶν, meretricularum depilatricum, quod inde laudatur. Vid. Toupii *Emendatt. ad Suidam* P. I, p. 159. Sed hoc celeberrimi *Meinekii*, cuius amicitiam paterna hereditate mihi partam colere nunquam desinam, eximiae relinquamus sollertiae, quam probavit iam in alia Cratini fabula, in Pytine, pulcherrime enucleanda in Specimine I *Quaestionum scenicarum.* Quis infitiabitur, Prodicum nonnulla ex illa fabula in usum suum derivasse, vel ipsum inde titulum mutuari potuisse. Et fuerunt comoediae id nominis complures aliae v. c. Anaxilai, quam laudat Suidas s. v. μᾶλλον T. II, p. 179.

***) Prius affirmaverat Stephanus *Pighius* in praefatione ad Panegyricum, in quo egit de principe iuventutis Cliviae fatis functo, et cui Herculis Prodicii nomen inscribere e re sua putavit (fol. 5.), Herculis aetatem cum Veris Hora componi posse ratus, illud parum reputans in animo, unius tantum Horae tum mentionem faciendam fuisse. Probabiliorem sententiam amplexus est amicissimus Schoellius *histoire de la Literature Grecque profane* Vol. II, p. 331. (Verba eius sunt: „Il composa un recueil des contes arrangés d'après les diverses ages de l'homme") dummodo Herculis vitam per tres aetates descriptam intelligamus. Nil in hac re definire ausus est Baylius, qui sub voce Prodicus T. III, p. 820. (ed. 1730) praeclare de illa recitatione disputavit et nomen Horarum quoque attigit.

mihi positum esse videtur, ulterius progressam esse Prodici narrationem, nec in eo substitisse, quod commemoravit Socrates Xenophonteus. Hiantes profecto delusisset auditores, qui mercede sua se emunctos esse merito ringerentur stomachabundi, nisi, quid Hercules deinceps molitus esset, uberius exposuisset Prodicus. Idque quomodo administraverit mirus in his exornandis artifex, coniectura satis probabili assequi possumus e duobus Sophistis, qui vestigia eius presserunt, Dionem Chrysostomum puta et Themistium. Scilicet aut egregie fallimur, aut multus fuit Prodicus in via declaranda, quam Virtus illi praemonstraverit et flagitiosa Ignavia, in bivium secta.*) Atque hoc ita se habuisse effici posse putamus ex utriusque Sophistae, quem nominavimus, fictionibus ad Prodici exemplar compositis.**) Ecquis igitur Prodicum materiem, quae campum oratori aperiret spatiosissimum, in arctum unius scenae

---

*) Praeiverat Prodico in bivio illo demonstrando Hesiodus Ἐργ. 287. a Socrate iam antea laudatus ideoque in narratione ipsa silentio praetermissus. Habet tamen in eiusdem rei commemoratione διττὰς ὁδοὺς Maximus Tyrius XX, 1, p. 378. *Reisk.* et ad bivium in Prodici fabula provocat Clemens Alexandrinus Strom. V. p. 561. *Sylb.* Pertinet huc litera Pythagorica Y, discrimine secta bicorni, ut cum vetere in Catalectis poeta loquamur, et vitae humanae speciem praeferens, ad quem locum comparandus est Burmannus Secundus *Anthol. Lat.* T. II, p. 416. Sed alia, lectu dignissima protulit Langius, cui cum Porta sua Deus faveat, harum quoque formarum spectator elegantissimus, in dissertatione de pentalpha Pythagorico cum amuletis recentiorum comparato in Sylloge archaeologica nuperrime a nobis edita: *Archaeologie und Kunst* P. I, p. 58. seq. cui, quo minus nova adderem volumina, impedivit librariorum dicam an lectorum socordia, qui flocci faciunt eiusmodi commentarios.

**) Themistius, ut ab hoc exordiamur, XXII. p. 280. *Hard.* monet, Herculem deductum esse in excelsum montem, unde prospectus pateret in immensam planitiem, ad cuius cum propius accessisset radices, biceps in vertice apparuisse fastigium. Sed Virtuti et Voluptati substituit, suis pigmentis novas quaerens formas, Amicitiam et Simulationem, magno utramque virtutum et vitiorum satellitio stipatam. Dolendum sane, orationem illam in fine esse mutilam, cui num recentioribus temporibus medela afferri potuerit, mihi non innotuit. Sed audiendus est etiam Dio Chrysostomus, qui cum in prima de Regno oratione Herculem nescio quem totius orbis imperatorem finxisset, non omisit tralatitiam de via et monte duplici narrationem, in quibus *Βασιλεία* habitat et *Τυραννίς* p. 12. seqq. *Morell.* Nullam is quidem Prodici facit mentionem, sibi ipsi totum commentum illud arrogans, manifesta tamen illius est imitatio. Itaque cum duo posterioris aetatis in hoc amice conspirent Sophistae, ut iam Basilium, Gregorium Nazianzenum, aliosque doctores ecclesiasticos (vide Wolfii et Wetstenii curas ad Matth. VII, 13.) in eodem consentientes non attingam, nonne exstitisse iam in ipso Prodici συγγράμματι Herculis in viam rectam se dantis vitae semitam, vero consentaneum est?

gyrum redegisse, induxerit in animum? Fabula fuit πολυπρόσωπος et ad *plaudite* usque deducenda. Et probe hoc intellexit limatissimus politissimusque argumentorum e penu antiquitatis depromendorum dispensator, Petrus *Metastasius*, poeta et bibliothecarius Caesareus, qui fabulam inde concinnávit melicam cantorumque modis in aula Imperatoria accommodandam, cui titulum fecit *Alcide in Bivio* (Poesie del Ab. Pietro Metastasio Vol. IV. p. 239 seqq. ed. Paris 1773). Et memini me in familiaribus cum *Herdero* τῷ πάνυ colloquiis audire virum, in veterum mythis ad nostri saeculi humanitatem et mansuetudinem attemperandis ingeniosissimum, dicentem, esse sibi in animo, Herculis Prodicii nobilissimam fabulam transferre ad magni Leibnitii εἴδωλα, qui cum adolescentulus admodum viridiaria et nemora Lipsiae nostrae suburbana rosarum blandissimo si non odore, at nomine tamen allicientia meditabundus perreptaret, cuinam doctrinae potissimum animum addiceret, diu haesisse fluctuabundum, et ad mathematica studia amplectenda tandem adiecisse animum, memoriae prodidit.*) Quod utinam perfecisset Vir ad vetera, omni situ absterso, splendore novo collustranda natus factusque,**) sed in medio lucubrationum suarum cursu fatorum invidia interceptus. Nec dubito, quin Tibi quoque, VIR ILLUSTRISSIME, in hac vitae ante actae iucundissima recordatione, refricetur hodie memoria similis admodum in valle rosarum deambulationis, cum schola Thomana relicta iam Tibi statuendum esset, cuinam doctrinae

---

*) Cum locus, in quo narrat Leibnitius, quid meditabundo acciderit, plerisque non sit ad manus, lubens appono verba ipsa, a lectoribus Lipsiensibus gratiam, nisi mens laeva est, aliquam initurus. Legitur in literis ad comitem Montmortium scriptis in *Leibnitii Operibus omnibus a Dutensio editis* T. V, p. 8. „Etant enfant j'appris Aristote, et même les Scholastiques ne me rebutèrent point. Mais Platon aussi des lors avec Plotin me donnèrent quelque contentement, sans parler d'autres Anciens que je consultois. Par après étant emancipé des Ecoles triviales je tombois sur les Modernes, et je me souviens, que je me promenois seul dans un bocage auprès de Leipzig, appellè le Rosenthal, à l'age de 15 ans, pour delibérer si je garderois les formes substantielles. Enfin le Mecanisme prévalut et me porta à m'appliquer aux Mathématiques.“

**) Leguntur in operibus eius (*zur schönen Literatur und Kunst* Vol. VI, p. 1—142) sex dramata, antiquis mythorum et historiarum nominibus inscripta, sed mira arte ad saeculi nostri ingenium et palatum accommodata, in quibus primum, Alcestidos pro marito se devoventis virtutem artificio plane admirabili declarans, Euripidem longe post se reliquisse putatur et virorum cordatissimorum quorumque tulit suffragia. Atque ibi Mortem cum Salute colluctantem finxit in eoque certamine Ennium sibi contigisse antecessorem, qui, Quinctiliano teste, Mortem et Vitam contendentes tradidit in Satira (Instit. IX. 3. 36.), ipse ignoravit.

potissimum nomen dares, ad omnem militiam togatam paratissimus. Sed tres gradum ad Te affectasse matronas opinor, quae manum Tibi iniicerent, gravissimas, Philologiam scilicet, Historiam et Theologiam. Tu tamen erecto ad omnes laudes animo tribus solum Te sufficere posse censuisti. Tres amplexatus es et oscula illis libasti castissima. Nec defuit fortissimo consilio eventus. Tres adstant hodie et coronis caput Tuum, SENIS SUMME VENERABILIS, obumbrant, baccarum et frondium decore mirum in modum exsplendescentibus.

III.

De priscae artis operibus Herculis Prodicii imaginem exprimentibus.

Unum restat, ut artis priscae monumenta circumspiciamus et, an in illis imagines Herculis Prodicii expressas deprehendere possimus, accuratius inquiramus. Atque hic ingenue fatemur, nobis diu multumque vestigia illius in sculptura et pictura veterum indagantibus nil occurrisse, quod ab antiqui artificis manu profectum esse videretur. Nosti perpulchre, mi BECKI, quippe qui in antiquis artis operibus interpretandis probe versatus tractasti hoc quoque argumentum in prolusionibus, (quas adhuc neglectas iacere, necdum coniunctim editas esse, dolent omnes, qui bene Tibi cupiunt et literis communibus,) multa a Graecis scriptoribus in historia fabulari prodita esse, quae respueret artificum Graecorum sollertia, in fingendis pingendisque Deorum et heroum historiis occupata. *) Non est igitur, quod miremur, artifices, qui quidem in censum veniant, abhorruisse ab hoc argumento. **) Nimirum in uni-

*) Non possumus non commendare lectoribus, quae de fontibus, unde hauserint, et de delectu, quem fecerint in componendis operibus suis artifices, Beckius noster in Commentatione III. *de interpretatione veterum artis operum ad veri pulchrique sensum acuendum instituenda* §. 19. p. CLXIV. seq. ante hos triginta et quod excurrit annos, subtiliter disputavit.

**) Scilicet a cultu deorum in templis, pompis sacris, ludis, diebus festis omnis in originibus suis ars pendet Graecorum. Cultus vero nitebatur carminibus et hymnis coram populo decantatis aut *λόγοις ἱεροῖς*, quos sacerdotes et qui ceremonias administrabant, propagarent, *λογογράφοι* colligerent. Hinc in operibus artis Graecae diiudicandis illud in primis animis nostris infixum haereat oportet, *τὰ νομιζόμενα καὶ πατροπαράδοτα* non tantum in formis stili, quem vocant, *hieratici* per aliquot saecula durasse, sed in tralatitio etiam fabularum orbe, quem artis opera exprimerent, diligenter servando maximam vim habuisse. Praeclare hoc docuit eruditissimus acutissimusque epocharum, quibus ars

verso fabularum ad Herculem pertinentium orbe, quem si sculpturam spectes et artem statuariam, in cista Cypseli et solio Apollinis Amyclaei, si picturam, in Polygnoti tabulis in Lesche Delphica et Poecile porticu pictis prima artis rudimenta et exempla habuerunt, optio Herculis in bivio constituti fingi pingique non potuit, quod sero admodum et ea aetate, qua orbis ille clausus iam et rotundatus esse videbatur, a Sophista excogitata et procusa est. Nam allegorica ratio, quam philosophi e Pythagoraeorum, Platonicorum et Stoicorum scholis profecti amplexi sunt, toto coelo distat ab ea, quam symbolicam hodie appellare solemus, ad quam solam excellentissima priscae artis opera conformata sunt. Quod cum ita statuimus, magna tamen cautio nobis est, ne fabulam illam Prodiciam ad iuvenum animos virtutis amore inflammandos valde appositam, nec pictam unquam fuisse, nec caelatam procedente aetate apud antiquos, Romanos in primis, anaglyphorum eiusmodi, quod vel tabula Iliaca demonstrat, studiosiores, temere negemus; quin nec iis plane adstipulari possumus, qui Cebetis tabulam nunquam exstitisse nisi in ingenio philosophi Stoici, qui hunc foetum antiquo illi Cebeti supposuit, fortiter affirmant.*) Atque huc referri posset locus in vita Apollonii Tyanensis apud Philostratum VI. 10. p. 239. ubi Gymnosophista mentionem Herculis

---

Graeca effloruit, conditor, *Fr. Thierschius*, archaeologus Monacensis, in tribus praelectionibus, quas novis curis recognitas et collocupletatas his ipsis nundinis Lipsiensibus prostare in lucro deputamus; *Ueber die Epochen der bildenden Kunst unter den Griechen*, München 1829. Consulantur ibi, quae prudenter monuit p. 59. seqq. 92 seqq. Atque idem fere a peritis picturae recentioris iudicibus in illustrandis illius originibus Tuscanicis observatum fuit: nam hic quoque argumenta, in quibus elaborarent picturae, quam archaicam appellare fas sit, inventores arctioribus ab initio limitibus circumscripti, valuerunt usque ad saeculi XVI initia. Id quod nuper admodum in picturas antiquissimas, quibus parietes porticuum in coemeterio Pisano *(il campo santo)* inde ab ineunte saeculo XIV exornati sunt, e V. et N. Testamento petitis, cum stilo illo Graecorum vetustissimo comparans post Dazincourtii operam his picturis impensam et Rumohrii nostri curas novissimas, diligenter exposuit elegantissimus, mihique amicissimus Raoul-Rochettus in scholis archaeologicis, quae calamo notariorum exceptae, evulgatae sunt cum maxime Lutetiae Parisiorum *Cours d'archéologie professé à la bibliothèque du Roi par M. Raoul-Rochette* (Paris 1828.) Leçon IX. p. 226 seqq.

*) Multi deriserunt Comitem Caylussium, qui πίνακος illius delineationem edere periclitatus est in Commentariis Academiae Inscriptionum Parisiensis. T. XXIX Histoire p. 149 seq. Largiamur pleraque nos debere sermocinanti philosopho, non pictori. Et insunt portenti similia, si penicilli ope oculis subiicienda fuissent. Sed imaginem tamen qualemcunque scriptori illius fabulae ob oculos versatam esse, nemo inficias iverit, qui qualia fuerint στυλοπινάκια in templis, cognoverit.

Prodicii in picturis expressi fecisse videtur, si sanus et nulla corruptela depravatus est.*) Duo, quae huc referri possunt, leguntur epigrammata Graeca, sed haec quoque subobscura et ad id, quod demonstrandum esset, probandum parum idonea.**) Quae quidem cum parum perpensa et perspecta haberent, qui ad explicanda monumenta antiqua et patrum memoria et nostra operam suam contulerunt, saepe hallucinati sunt et frustra desudarunt in Herculis Prodicii imaginibus illustrandis, quae ab hoc argumento plane alienae essent. Atque, ut ab hoc incipiam, diligens et indefessus monumentorum artis antiquae investigator exploratorque et pro captu aetatis, qua vixit, intelligens, ***) anti-

---

*) Quod tamen suspicari licet. Nam quid sibi velint verba: *εἶδες ἐν ζωγραφίας λόγοις*, non satis expedio. Perplexa sane oratio, unde sensum vix elicias. Succurrebat notissimum illud Simonidis dictum, a Lessingio nostro pulchre illustratum, *ζωγραφίαν εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν* apud Plutarchum de puerorum educatione p. 17. F. T. 1. p. 66. *Wyttenb.* ad quem locos similes addidit Wyttenbachius in Animadv. T. I. p. 198. cf. Iacobs ad Philostrati Imagines p. 580. Sed amat contortas eiusmodi loquutionum formulas argutiarum magister Philostratus.

**) Exstat epigramma Mnasalcae in Anthol. T. I. p. 192. XIV, quod, observante Eustathio ad Il. B. p. 216 *παρῳδεῖ* Aristotelis epigramma in tumulum Aiacis. In eo *Ἀρετά*, vultu et animo deiecto et tristitia oppresso assidet *τῇ Ἡδονῇ — εἴπερ ἅπασιν Α κακόφρων Τέρψις κρεῖσσον ἐμοῦ κέκριται.* Sed nil inde colligimus, nisi certamen illud Virtutis cum Voluptate Mnasalcae aetate (quem circa Olymp. CXXXVI. vixisse coniectura probabili efficere studuit Iacobsius in Catalogo poetarum Vol. III. D. III. p. 919.) statuario probe cognitam fuisse. Inscriptionem e Fulvii Ursini imaginibus (Rom. 1570) p. 61. a Smetio in collectanea sua receptam, tanquam inscriptionem baseos marmoreae, publicaverunt Gruterus XLC, 1. et Muratorius p. LX, unde in Anthologiam recepit Brunckius *Ἀνεκδ.* CLXXXV. T. III, p. 188. Sermo est de statua Herculis adolescentuli, leonis exuviis induti, dextra clavam, sinistra mala tenentis. Scilicet hic figurae habitus pueri cuiusdam fato functi indolem refert ad Herculem, qualem in nobilissima allegoria ob oculos nobis posuit Prodicus. Loquitur puer, qui personam Herculis, olim iam a Prodico repraesentati sustinet:

Ἡλικίην παῖς εἰμὶ, βρέτας δ᾽ ἐστήσατο Φῆλιξ
Ἡρακλέους εἰκώ· οἶσθά με καὶ Προδίκου.

Praeferenda enim antiqua lectio emendationi Brunckianae, quod non fugit Iacobsii nostri sagacitatem in *Animadv.* T. XI, p. 396. Verum non statim succurrebat Critico, priscae artis, quae ad nos pervenerunt, monumenta semper in numerato habenti, statuam ipsam, ad quam pertinuit basis, socordia vulgarium artificum Romae haec interpolantium protome qualicunque adornata, cerni adhuc in Museo Capitolino T. III. tab. XXVI. Herculis Aventini nomine propterea praeditam, quod in Aventino monte effossa et mille numis scutatis vendita est, teste Bottario p. 69.

***) Servantur adhuc in bibliotheca regia Berolinensi schedae Pighianae, sub titulo: *reliquiae περιγραφῶν Romanarum* in spissum volumen coniectae, quarum in recensione codicum ineditorum non oblitus est

quarius Campensis, Stephanus Pighius in praefatione libri, cui Herculis Prodicii titulum praefixit, ad laudes principis iuventutis ducatus Cliviae, qui immatura morte abreptus magnum luctum fecerat civibus omnibus, extollendas compositi (prodiit liber Coloniae Agrippinae 1609) rerum suarum sategit, ut demonstraret exstare adhuc Romae statuas aliquot antiqui operis, Herculem Prodicium referentes, quae tum temporis in vetustissimo et unico fere auctoritate publica constituto Museo Capitolino visebantur, in quibus eminere docet duas statuas aeneas, unam imberbem forma iuvenili et nitida, dextra tribus malis instructa, Virtutis praemiis scilicet, alteram deauratam, plane virilem. Non est, quod refellamus haec interpretationum somnia. Sed plurimum tribuit Pighius protomae Herculis adolescentis, quae basi quadratae innititur, ob hoc falso Hermeraclis nomine ab eo appellata, cuius epigramma, duobus versibus Graecis conflatum, et basi lapideae insculptum, in nota superiore iam commemoratum, ad illud simulacrum Herculis, (quod ligneae tabellae incisum communicavit nobiscum Pighius, manifestum recentioris sculptoris ostendens artificium) nequaquam referri posse, primo obtutu quilibet cognoverit.

Ergo cum in his nihil praesidii nobis paratum sit, oculis, ut ille ait, emissitiis indaganda sunt melioris notae monumenta, huc spectantia. Bonum factum! In promptu est patera aenea rasilis figuris aeri incisis et nominibus super capita scriptis sermone illo pervetusto Tuscanico, valde commemorabilis, in Museo Florentino servata, quam quidem speculi mystici, quae nunc post Inghiramii disputationem pervulgata est opinio, usui inserviisse mihi nunquam persuaderi patiar. Primus eius imaginem ad magnitudinem ipsius paterae delineatam, tabulae aeneae affabre insculptam dedit Dempsterus, qui e Scotia oriundus consenuit in museis Florentinis, in *Etruria Regali* Vol. I. tab. II. p. 78. Saepius repetita tandem a Lanzio in exiguum modulum redacta et inserta est praeclaro eius operi *Sag-*

---

amicissimus Wilkenius, cui, cum haec scribebam, bibliothecas et tabernas literarias Londini excutienti, omnes Deos Viales propitios apprecamur, *Geschichte der K. Bibliothek in Berlin* p. 227. Simulacra sunt ea tempestate, qua Vinandus Pighius Romae degebat, perite admodum ab eo delineata et a Laurentio Beyero ineunte Saeculo XVIII Berolinum advecta. Cum triginta abhinc annis ea Berolini perlustraremus, digna nobis visa sunt, quae accuratius explorarentur, non multo minoris pretii habenda, quam quae e schedis Equitis del Pozzo saepe commemorat Winckelmannus, e quibus pluscula dedit Millinus, Parisiensis archaeologus, cuius mortem nunc quoque deflere liceat. Quando Lutetiae Parisiorum ullum inveniam parem?

gio di lingua Etrusca P. III. in ea disputatione, qua illustrantur paterae figuratae et literatae Tom. II. p. 208. X. ibique aere expressa tab. XI. 8. Apud Inghiramium in luculento opere monumentorum Etruscorum, quod miramur, nusquam apparet. Figuras ibi conspicis quatuor iuxta se positas. Hercules in flore aetatis pubescens, imberbis, exuviis leonis post terga reiectis, sed ungulis ad pectus consertis, caetera nudus, dextram Minervae galeatae, hastatae, tunicatae, sed vestimenti laciniam delicate ad genu retrahentis, cervicibus iniecit, eique abblanditur, capite tamen ad feminam alatam sinistrorsum accedentem et laciniam, qua papillae teguntur, manu sinistra molliuscule attrahentem converso. Dextrorsum Minervae acclinis adstat femina, si ab amiculo, (πεπλιδίῳ), quod brachio sinistro leviter iniectum ad genua defluit, discesseris, omni vestimento prorsus despoliata. Torquibus, armillis, inauribus ornatae sunt pari modo tres istae feminae. Iam quid sibi velint mulieres dextrum sinistrumque Herculis latus claudentes ut explices, nullo nec tripode, nec natatore Delio opus esse arbitror. Pallas est et Victoria, quas irrupta cum fortissimo heroe coniungit copula. At nonnullam dubitationem affert figura exterior virginis speciosae, statura procera, a vertice ad talos venustissimae, praeter palliolum illud, fasciis in pectore decussatim positis adstrictum, nil habens, quod pudorem velet. Spiculum perbreve tenet manu sinistra; graphium esse putes, sed parum liquet. In capite praefulget corona, comae elegantissime discriminatae imposita, ornamentis orbiculatis laminae (στλεγγίδι) infixis, radiisque sex prominentibus distincta. In pedibus cothurni corrigiis purpureis ad suras usque pertinentibus scite colligati. Habes figuras, quantum verbis assequi potuimus, in conspectum Tuum productas, Vir Praestantissime, vel potius, vidisti enim, in memoriam revocatas. Atque hanc postremam si quis Voluptatis simulacrum esse contendat, habebit multos sibi assentientes, quamquam non nudam, sed vestibus tenuissimis, Cois, pellucentem finxit Xenophon. Sed refragatur σχῆμα et actio illius, familiariter admodum ad Palladem inclinatae. Iam vero penes Te erit arbitrium iudicandi, an verum divinanerit Lanzius, feminam alatam Voluptatem, quae ex adversum stat Palladis specie, Virtutem, nudam vero Erin esse hariolans, cernique hic Herculem Prodicium, affirmans. Monstri simile, Voluptatem nobis in conspectum dari alatam, Erin vero nuditate conspicuam. Voluptatem haud dubie hic intelligendam censuisset Lanzius, nisi blandissima corporis ad Minervam propensio huic sententiae plane adversata fuisset. Iam si quaeras, quibus potissimum argumentis adductus fuerit, ut in hac

interpretatione acquiesceret Lanzius, nomina sunt capitibus imminentia, quibus inductus ita statuit, *Ercole*, *Meurta*, *Ethes*, (sic enim legit repugnantibus literarum ductibus) et *Eris*.*) Iam vero quam lubrica et anceps sit horum nominum interpretatio, vel ex eo apparet, quod eosdem literarum ductus sequens sensum ex illis effecit plane diversum, senator Florentinus, genere et doctrina exsplendescens, Philippus Bonarota in Explicationibus ad calcem operis Dempsteriani adiectis p. 12. Gorius in *Museo Etrusco* T. II. p. 80. et qui praecipuam literis Etruscis enucleandis navavit operam, Passerius, tum in *Paralipomenis ad Dempsterum* separatim editis p. 24. tum Lexico linguae Etruscae Vol. III. *picturarum in Vasculis* p. CXX. insertis. Satius igitur, missis Lanzii argutiis redire ad priorem Bonarotae, Gorii, Passerii explicationem,**) qui amice conspirarunt in illo, Herculem hic cerni a Minerva in Olympum deductum, favente utrinque Iunone et Victoria. Sed valde laborat et claudicat haec explicatio, quando Iunonem in partes vocant viri in his explanandis diligentissimi. Nam qui propter coronam radiatam, Iunonem hic significari opinantur, nae, nugantur magnifice, sommiis, ut fit, inanibus delusi. Iudicium Dearum hic non agitur. Augustissimam Iovis coniugem et sororem, Matronae nomine insignem, *stolatum*, ut cum

---

*) Taedet pigetque iam disputationum et digladiationum de forma, aetate et vera significatione literarum Etruscarum, acerrimis duorum saeculorum controversiis nondum ad liquidum deductarum. Vide sis notam pereruditam Rochetti versioni eius Francogallicae operis Micatiani de Italia antiquissima additam *Italie avant la domination des Romains* Vol. II, p. 277. Otium nunc nobis fecit ingeniosa Odofr. Mulleri industria in conquirendis et comparandis inter se monumentis literatis Etruscorum (quibus cumulus iam accessit detectis prope Tarquinios (Corneto) cryptis subterraneis, quarum inscriptiones nuper admodum illustravit amicissimus Raoul-Rochettus in diatribe menstruis, qui Parisiis prodeunt, commentariis, *Journal des Savans* 1828. *Fevrier* inserta) in praeclaro, quod nuper perfecit, opere: *die Etrusker in vier Büchern* Vol. I, p. 405. seqq. Vol. II, p. 290. seqq. Duplicem elementorum et scripturae indolem, antiquiorem et recentiorem, erudite et subtiliter distinxit, quae Etruscae sint, quae Osca, probe discernens atque in una tabula ad calcem libri annexa, omnem hanc literaturam ita comprehendens, ut uno iam obtutu lustrare queas omnia. Atque idem Vir Doctus ratione huius ipsius, quam tractamus, paterae, habita, iure suo contendit, Gorii opinionem, Iunoni (alias Cuprae dictae) Eris appellationem hic convenire, hariolantis, ex hac patera demonstrari non posse. Vol. II, p. 47, *not.* 21.

**) Consuluisse iuvabit hic quoque Viscontium, (quem laudibus meritis non defraudasse Thierschium nostrum in praefatione ad Epochas p. VII. magnopere laetati sumus), ad *Pio-Clementinum* T. IV. p. 89.

Tertulliano loquamur, *pudorem* exuisse una cum vestimentis, prodigium est. Concurrite augures et haruspices! Nec est, quod diutius aestuemus in vero harum figurarum sensu indagando. Herculem intuemur, cui corporis mortalis labem iam decoxit ignis, corpore pariter atque animo defaecato, statim post παλιγγενεσίαν a Minerva, perpetua illius auxiliatrice, receptus, adstante hinc Victoria, illinc Iuventa sive Hebe, quam illi, annuente Iove, despondet Minerva. Nec obstat flosculorum et plantarum ad pedes Hebes propullantium copia amoenissima. *) Quis nescit in Olympo quoque pandi viridaria herbis et floribus distincta odoriferis (vid. Callimachus H. in Dian. 164. cum nota Spanhemii).

Facessat igitur patera, ad Herculis celebratissimam Virtutem inter et Voluptatem optionem longius arcessita et parum commode nobis obtrusa una cum alia, ab eodem Lanzio ad nuptias Herculis detorta (*Saggio* P. II. tav. VI, 3. cf. Millin *galerie mythologique* pl. CXIX, 463.). Idcirco ad picturas vasculorum Italograecorum, sit venia verbo, nobis confugiendum erit, in illis, id quod quaerimus, tanquam Deum ex machina, proditurum esse, certo confisi. Nam Herculis vitam et res gestas a pictoribus vasorum, quod impense delectarentur hoc argumento, saepissime expressas esse, inter omnes constat. Itaque plus quam ducenta vasa, quorum notitia ad nos pervenit, picturis istiusmodi Herculem prae se ferentibus insignia enumerari posse, nemo, qui vel primoribus labris haec degustavit, hodie dubitat. Nosti, BECKI eruditissime, qui quaecunque multa molienti, pauca extricanti mihi exciderunt disputationes de universa hac supellectile antiquaria, studio et suffragio Tuo perhonorifico prosequutus es, additis in Reper-

---

*) Hic facere non possumus, quin ridiculum errorem Lanzii, de cuius industria et sagacitate detrahere, religio nobis est, dummodo ingenio non abutatur suo, leviter perstringamus. Exemplo est, quantopere interdum caecutiant antiquarii oculatissimi. Is enim e flosculo, quem pedibus hic calcat Hebe, progerminante et in calices iam deformato, procudit calcar, aculeo prominenti exasperatum, pedibusque feminae illius, quam Iunonem sibi finxit, affixum, nec multum de calcari illo pedibus matronae *nudae* addito laborat. En tibi calcaria, inquit, laudis et rerum fortiter gestarum stimulos. Quod si hic nodus, qui in scirpo quaeritur, risum movet, est tamen, quod me quoque valde torsisse, ingenue fatear. Necdum satis excogitare potui, quid illud sibi velit. Instrumentum est, quod femina nuda femori nudo applicare videtur, spiculum referens, utrinque acuminatum. Lanzius simpliciter acquiescit in eo, ut dicat *uno stilo scrittorio o simul simbolo*. Quid si fissura sit paterae dehiscentis, interpolatoris resarcientis ineptia male commissa? Sed praestat pronuntiare: amplius.

torio Tuo et, quas antehac auspiciis Tuis prodiise scimus, ephemeridibus literariis favoris Tui significationibus, nosti, inquam, me olim iam hac de re disseruisse in *Amalthea* Vol. III. p. 329. Et bene monuit acutissimus harum elegantiarum spectator, eorum, qui in Anglo-Britannia nostris studiis operam suam impendunt, facile princeps, Iacobus Millingen (*Peintures inédites de vases grecs.* p. 33.) operae pretium facturum esse, qui Herculis fabulam e vasorum picturis solummodo depromendam, commentario illustret peculiari. Circumspiciendum igitur ex illa antiquorum monumentorum classe novum nobis erit praesidium. Nec fefellisse videtur exspectationem nostram eventus. Praesto est pictura, qua Prodicii Herculis fabulam nobis ob oculos poni, existimarunt magna in his intelligentia praediti homines Itali. At circumspecte et caute in ea examinanda nobis procedendum esse, ne fucum nobis faciant et imponant speciosae interpretationes, mox patebit. Habemus eiusmodi picturam, quam ex antiqua supellectile Equitis Romani de Rossi cum multis aliis vasculis picturatis aere emtam suo Coghillius eques Britannus Millingio illustrandam concessit in opere luculento Vases Grecs de la collection de Coghill, tabulas continente LII aere expressas in forma maxima. *) Atque in illo opere splendidissimo incidimus in tabulam (XXV.) in qua Hercules nobis ostenditur forma iuvenili efflorescens, sedens in lapide vivo in area aut vestibulo delubri duabus columnis pinguiore sane Minerva delineatis fulti, chlamyde, quam sibi substravit, non pelle leonina insignis, clavae innixus, vultu ad Minervam, hastatam, clypeo Argolico innixam et capite paulum inclinato suaviter cum illo confabulantem ita converso, ut iucundissimo Deae alloquio valde illum recreari, manifesto appareat. A tergo Deae iuvenis assidet, petaso pro more viatorum in tergum reiecto, capite retro flexo verbis, quae Minerva facit ad Herculem, aucupium faciens. Sed adest figura quarta, oculos nostros in se convertens. Exadversum Herculi stat virgo, tunica ad talos usque defluente, cuius laciniam ad collum attrahit primoribus apprehensam digitis. Adduxit illam in conspectum Herculis Mercurius**), agmen claudens, genu sinistrum dextro impositum habens ad quietem significan-

---

*) Adi sis, quae de hac collectione, aliisque eiusdem generis a Millingio, nobis amicissimo, editis nuper notavimus in Sylloge supra laudata: *Archaeologie und Kunst* p. 1. p. 203.

**) Mire argutatur Rossius, ut caussam, cur Mercurius his intersit, comminiscatur. Habes verba eius: *Mercure attend la decision d'Alcide, pour en porter la nouvelle à l'Olympe.* Id Dii curant scilicet.

dam, baculo innixus, petasum alatum post tergum reiectum gerens. *) Atque hinc figurarum quinque seriem Rossius in explicatione Gallice scripta et cum Millingio communicata p. 25 — 27.

---

*) Dici non potest, quas turbas dederit hic gestus ab interpretibus artis priscae parum intellectus. Tralatitius est in vasis pictis, quorum copia nunc laboramus, frequentissimus. Sic in luculento Millini opere, *Peintures de Vases* inscripto, triginta numeravimus figuras muliebres, hoc gestu insignes. Itaque in prima statim pictura, hunc gestum referente (Vol. I, tab. XI.) hac observatione defunctus est elegantissimus commentator, verecundiae virginalis documentum hic cerni: *la pudique attitude de la jeune fille.* Nam cum in ea parte saltationis, quae mollia brachia ostenderet in gesticulatione numerosa, *χειρονομίαν* et *χειρονομεῖν* appellant, excellerent antiqui, et plus illi tribuerent, quam pedum micantium supplosionibus et argutationibus (vide nos in *Amalthea* Vol. II, p. 287.) illum gestum in statuis et picturis mulierum ita imitati sunt artifices, ut cubito, i. e. brachio a cubito usque ad digitos protenso, fimbriam tunicae, quae sinum velaret, scite admodum et delicate attollentes fingerent mulierculas. Nec praeterit hoc fidicinas et psaltrias nostrates, quae fides pulsare didicerunt in psaltriis vel barbitis grandioribus, quippe quae non digitorum tantum annulis et lapillis splendidis ornatorum micationibus, sed brachiorum quoque ad cubitum usque nudatorum illecebris venantur viros, oculis veneres illas cupidissime devorantes. Barbarus contra est gestus et vere *σολοικίζων*, quo utuntur nostrae aetatis musici, qui radio pilis equinis intento sonos eliciunt e fidibus. Cachinnum movisset et pastoritia fistula per omnes theatrorum cuneos eiectus fuisset citharista antiquus, si abnormi brachiorum iactatione chordas instrumenti collo obliquo innixi percurrisset, ut mos est hodie. Atque ex eodem pulchritudinis sensu explicandum est illud quoque, quod tantopere placerent tibicinae, puellae quaestum facientes corpore et omnibus conviviis adhibitae, quae cum duas simul inflarent tibias, formosissimo utriusque brachii motu oculis aucupium facerent, v. c. in collectione vasorum Lambergianorum ab egregio omnis antiquitatis promo condo, itineribus, disquisitionibus, fortitudine in fluctibus civilibus, et magnanimitate conspicuo, Comite La Borde sumtibus suis prodita *Collection de vases grecs du Comte de Lamberg* tab. XXXII. LXII. Et huc pertinet, quod de chirothecis, quas ludibrio habuissent et risissent mulieres Graecae et Romanae, monuimus in commentatione de personis furiarum: *die Furienmaske* p. 20. seq. Denique huc facit etiam gestus, quem Nemesi dederunt veteres, quae lacinia tunicae sublevata sinum inspicere dicitur, quod reconditas in pectore humano cogitationes exploraret, quae sententia est Bonarotae, *sopra alcuni medaglioni* p. 224. vel ut cubiti mensura inde efficiatur, quae pervulgata est opinio, vel ad *προβασκάνιον*, quod amoliendae invidiae causa despuerent in sinum, significandum, vib. Iacobsium in Animadv. ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 346. Verum vidit pro ea, qua pollebat, sagacitate Viscontius, celeberrimum Nemeseos Vaticanae signum illustrans *Mus. Pio-Clement.* T. II, p. 25. ubi docet, hunc gestum absque ulla significatione, quam vocant, symbolica in formosarum mulierum statuis frequentatum sero tandem interpretum argutiis caussam praebuisse; quod reprehensum esse nollem a Meyero in observationibus ad Winckelmanni Opera T. II, p. 697. Et parum ab hoc gestu discrepant similes brachiorum et manuum motus, brachii ostentandi gratia ab artificibus reperti, si digitos mento vel ori

ad fabulam de Hercule Virtutem Voluptati anteponente referendam esse censuit, paterae aeneae, apud Lanzium obviae haud oblitus. At valde veremur, ut verum viderit archaeologus Romanus, amicis et bonis literis nuper ereptus, in discernendis vasculis supposititiis et dexteritate male sedula vafrorum hominum speciose admodum conglutinatis ita versatus, ut passim deferrentur ad illum vasa Romae venum exposita, sed in argumentis picturarum in illis adumbratarum iudicio usus parum subacto. Primum igitur male habuit illum Mercurius, cuius quaenam partes fuerint in lite illa Minervam inter et Voluptatem dirimenda, satis exputare non potuit. Lenocinium sane Iovi, qui personam Amphitruonis sibi induerat, fecit de Diis non tristibus ille. Sed num, Minerva praestolante, opitulatus sit Voluptati quoque technis suis Mercurius, valde dubium. Porro autem gestum virginis, laciniam tunicae elevantis et sinum aperientis irritamentum esse putat Voluptatis. (Verba sunt: *il semble qu'elle se decouvre le sein, comme voulant inviter au plaisir.*) Sed qui tot vasorum pictorum imagines oculis usurpaverat, vix ignorare potuit, hunc gestum ad εὐσχημοσύνην et cultum delicatiorem feminarum pertinuisse, ut pulchritudo brachiorum magis enitesceret. Quid multa? clamat res ipsa, et monuit etiam Millingius, Rossii opinionem merito explodens, picturam hanc ad Ἥβας γάμον*) a poetis scenicis et artificibus

---

admotos videas (unde silentii deam, Augeronam nobis exsculpsere antiquarii) vel tunicam fibula in humero odstringunt, id quod cuivis patebit, qui statuas aeneas Herculanenses contempletur *Bronzi d'Ercolano* T. II, tar. LXX — LXXVI. quas saltatriculas esse agnovit iam Winckelmannus *Opp.* T. V, p. 143.

*) Tractavimus olim hunc locum de nuptiis Herculis et Hebes, Epicharmi comoedia nobilitatis in scholis privatis de Iovis fabula cum monumentis antiquis comparata (*Kunst-mythologie*) anno 1809 habitis, brevi, si numen annuat coeptis nostris, publicandis. Scilicet ex Epicharmi fabula, *Hebes nuptiae* inscripta, derivari debent anaglypha, Herculis comissationem, assidente puella formosa, referentia, quod post Viscontium ad Mus. Pio-Clement. T. II, p. 54. innuit Heynius quoque ad Apollodorum p. 134. assentiente Zoega. Sed hic silentio praetermittere non possum, mirifice me delectatum fuisse pictura vasculi in Museo Kolleriano nunc maximam partem divendito et in Museum Regis Borussiae translato, quam unam omnium, quorum videndorum mihi copia facta est, praestantissimam esse puto. Nuptias repraesentat Herculis in Olympo, assidentibus vel accurrentibus, Diis celebratas splendidissimo scenae duplici ordine divisae choragio, cum pulcherrima sponsaliorum Herculis et Hebes in Olympo peractorum in vase Lambergiano T. II. tab. IV, sed itidem cum admirabili pictura inclyti pictoris Urbinatis in lacunari cubiculi, quod adhuc visitur in villa minore Tarnesiana, depicta comparando, cuius accuratissimam delineationem cum mecum benevole communicaverit amicissimus Steinbuchelius, in villa Kolleriana prope Pragam sita

summo studio expositum, referendam esse. Pulchre huic conveniunt omnia. Heben hic quoque cernis a Minerva Herculi, postquam, quidquid mortale habuerat, deposuerat, desponsatam, deducente Mercurio, aliumque comitem, quem paranymphum si dixeris, non recusabo, sibi adsciscente. Sed est aliud in hac pictura, de quo verbum addere non pigebit. Coronis cincta personarum, quotquot in hac pictura tibi occurrunt, vides capita. Coronas ex hederae foliis connexas esse apparet, sed peculiari forma sunt exstructae, foliis aliquot ita a fronte prominentibus, ut de industria hoc ita factum esse, statim incurrat in oculos. Iam vero nemo nescit, coronas hederaceas ab omnibus, qui sacra Dionysiaca et Bacchanalia celebrarent, capitibus inditas, in magna Graecia in primis cum initiationibus iuvenum, qui Libero et Liberae initiarentur, arctissime coniunctas fuisse et copulatas.*) Nec abhorret a vero in illa foliorum serie ita disposita, ut certus foliorum protuberantium et a fronte exstantium numerus iniri possit, tesseram aliquam fuisse et signaculum, quo initiati, seu mystae inter se discernerentur.**) Hinc recte colligimus, in ea, de qua nobis sermo est, pictura vasculari scenam exhiberi Dionysiacam. Itaque Tibi

---

diutius commoratus, edendi illius illustrandique magna me incessit cupiditas. Et faciam propediem, si valetudo addixerit.

*) Non nostrum est, quae de mystica harum coronarum in Dionysiacis significatione disputavit idoneus harum rerum arbiter, Creuzerus, Vir summus mihique amicus spectatissimus, *Symbolik* T. II, p. 550 et in aliis locis, singulatim percensere et ad unguem resecare omnia.

**) Non me fugit, quam facile titubent in via admodum lubrica monumentorum Bacchicorum commentatores, qui in *παρέργοις* quoque agnoscunt signa initiorum. Exemplo sunt Passerii somnia, ex adscititiis quoque figurarum ornamentis obstrusa et recondita sapientiae mysticae indicia expiscantis, v. c. in tribus globulis, tres initiorum gradus indicantibus in *Picturis Etruscorum* in vasculis T. II, p. 24. 29. 69. Verumtamen suspicionem aliquam movent spicula, initiatorum coronis infixa, in vasculorum Bacchicorum picturis, quae in aliis coronis, in priscae artis operibus ubique obviis, nuspiam reperies. Contemplare, si otium est, picturam in opere Milliniano, *Peintures des vases* T. II, tab. LXXI. ubi sacram vittam iuveni, Herculis personam sustinenti, porrigit sacrorum antistes, coronam e metallo conflatam (*ἄμπυκα*)·gestans in capite, e qua spicula quinque, non acuminata illa, sed in parte suprema reflexa, eminent. Nec idem ubique aculeorum prominentium numerus. Consule, si ad manus est, eiusdem operis, priorem Millingii collectionem *Peintures inédites de vases grecs*, tab. XII, ubi in una eademque pictura coronae occurrunt bifidae, trifidae, quadrifidae, pro dignitate personarum scilicet personarum in sacris ministrantium novis incrementis auctae cf. tab. XXIII. XXIV. XXVI. Iam vero facilis hinc transitus ad folia, coronis hederaceis ita inserta, ut significationem illis inesse, facile tibi persuadeas. Complura exempla id generis vel ex uno Millini opere

quoque me probaturum esse, spero, Vir eruditissime, opinionem aliquoties iam a me prolatam*), in vasorum picturis saepissime non mythi alicuius simplicem imaginem, sed scenam conspici fabulae Satyricae, vel exodii mimive inter Bacchanalia ab ipsis iuvenibus et puellis, quibus antistites et antistitae ritibus solemnibus ad initia aditum patefecissent, actitati.**) Proinde Herculis etiam ἱερὸν γάμον ab illis in Bacchanalibus repraesentatum esse, quis dubitet? Quae cum ita sint, affirmare ausim, in pictura, quam de Hercule Prodicio accepit Rossius, induci quidem Herculem praemium accipientem laborum in terra profligatorum, Heben a Minerva sibi desponsatam, sed *personatum*, id est, iuvenem Herculis partes in dramate sacro, cum mimis Christianorum populorum mysteriorum nomine olim celebratis (*mysteries, autos sacramentales*)***) non inepte comparando, agentem. Nec est, quod scrupu-

---

laudari possunt vol. I, tab. 28. 42. 52. 64. Vol. II, tab. 36. Utcunque hoc apparet, scenam ponendam esse in initiis Bacchicis. Herculi *personato* nuptum datur Hebe *personata*. Gradum, ad quem ascenderint initiandi, indicant folia.

*) In eo verum deprehendisse videtur iam Passerius ad vascula Etrusca Vol. II, p. 37. 40. Idem demonstratum ivimus in Explicationibus vasorum Tischbeinianorum, quarum tres in lucem prodierunt fasciculi, T. I, p. 153 et in commentario *de nuptiis Aldebrandinis* p. 62. Refragatur, sed non persuadet Millingius in *Prolegomenis* p. X et XII. operis eius priori praemissis.

**) Nolo recoquere, quae de ludis et saltationibus mimicis apud populos stirpis Doricae agitatis (δεικελισταὶ et δείκελα huc referenda sunt) primum exposui in prolusione *de quatuor aetatibus rei scenicae apud Graecos* p. 10. seq. Multo deinde uberius exposui in *Archaeologia picturae veteris* p. 191 seqq. Adiecimus alia in explicatione picturae fabulam Amymones referente in *Amalthea* II. 289. Ceteroquin egregie de re scenica in Sicilia et Magna Graecia a scena Attica multum discrepante nuper disputavit Ottofr. Mullerus in opere, in quo multa acute, plura speciose, erudite omnia tractavit, *die Dorier* II. 356 — 370.

***) Ne plura commemorem, e quibus opiparam parari posse coenam sciunt omnes, qui his delectantur lautitiis, apponam unum, quo rem confici posse, plane confido. Obversatur nobis pictura nitidissima in Millini opere: *Peintures* Vol. I. tab. XXXVII. Assidet ibi Hercules in flore aetatis iuvenilis depictus, pelle leonina, pedibus leonis circa pectus nodo constrictis elegantissimo, amictus, lectisternio Bacchico, in quo Liber cum Libera in lecto, vestibus strangulis magnifice cooperto, recumbunt, mutuis cyathorum et blanditiarum illecebris deliniti, adstantibus vel ministrantibus utrinque duabus mulierculis, Bacchico cultu expolitis. Mimum, non mythum cernis in hac pictura. Bacchi et Ariadnes i. e. Liberi et Liberae partes sibi impositas magna cum voluptate peragunt duo initiati, mas et femina, ἱερὸν γάμον coram spectatoribus huc admissis obeuntes. Interest his iuvenis, ad Herculis personam sustinendam excultus, oculis in hanc scenam defixis mercedem, sibi quoque mystae votorum iam compoti destinatam, animo praecipiens. Sic iam dudum expo-

lum nobis iniiciat forma Herculis in flore aetatis iuvenilis enitescens. *)

Quodsi picturae in vasis adumbratae nil habent, quod commode huc referatur, at certe in promptu sunt gemmae caelatae aut inscalptae, Herculis Prodicii manifestam ob oculos nobis ponentes imaginem. Nec si indices dactyliothecarum celeberrimarum evolvas, spe tua te frustratum esse, arbitraberis. Itaque si Lipperti loculos, gemmarum raptim corrasis ectypis, refertos, excutias (*Mill.* I, 618. III, 315.) vel si, quem Raspius contexuit catalogum, gemmas, quas Tassius Londini studiose conquisiverat, et formis impressas venum dederat, enumerantem inspicias, sex gemmas Tibi oblatas senties, in quibus Herculis iudicium exprimitur. Sed ne Koehleri quidem, inclyti antiquarii Petropolitani, penes quem summa in gemmis diiudicandis potestas et arbitrium est, amici per triginta annos spectatissimi, industria et sagacitate opus erit, ut hos recentiorum scalptorum foetus esse supposititios intelligas. Primo obtutu, haec spuria esse vides artificum in his allegoriis lepidissime ingenio suo indulgentium vel abutentium somnia et simulacra commenticia. Unum attigisse sufficiat. Exstat gemma caelata, (an adhuc extet, docebit Levezowius noster, his thesauris cum maxime invigilans eorumque incrementis novis quotidie mactatus laetitiis) in museo Brandenburgico. Laudavit primum et aeri incidi fecit Lau-

---

suit in commentario p. 75. 76. Millinus, nec quicquam excogitari potest huic scenae accommodatius. Rem e liberioribus magnae Graeciae ludicris ad unam fabulam satyricam, Bacchi thiaso in partes vocato, transferunt anaglypha, Herculis comissationem festive admodum deformatam exhibentia, quorsum pertinere etiam marmor celeberrimum, Herculis quietem referens, nemo hodie dubitat. Sed de his post Georgii Zoegae disputationem copiosissimam *Bassi Rilievi* T. II, p. 118 seqq. agere, nihil attinet.

*) Modo illud teneamus, Herculem nos cernere vigore novo pubescentem statim post pyrae Oeteae incendia, priusquam in Olympum quadrigis eveheretur, anteambulone Mercurio, Minerva vel Victoria currui una cum illo insistente. Hoc est, quod Callimachus canit Hymno in Dian. 159. γυῖα θεωθείς cum nota Spanhemii p. 285. Sufficiat laudare picturas duas in vasculis, unam in Millini Peintures Vol. II, tab. XVIII. p. 30. alteram in Millingii *Peintures inédites* tab. 37. p. 56. Herculis in florida aetate repubescentis et quadrigis in Olympum escendentis imaginem ostendentes. Uti potuisset his exemplis, si hoc egisset, ut monumenta artis singula enumeraret, ad locum Plinii XXXV, 11, s. 40, ubi in Artemonis pictoris tabulis percensendis commemorat *Herculem ab Oeta monte exuta mortalitate consensu deorum in coelum euntem* in Catalogo artificum, praeclaro opere et bonae frugis plenissimo s. v. Artemon p. 98. Silligius meus, cuius familiaribus de communibus studiis sermonibus et officiosae comitati me obstrictissimum esse, lubens gratusque testificor.

rentius Beyerus, antiquitatum pro captu temporum illorum enarrator disertus, sed in subodorandis fraudibus naris obesae, in *Thesauro Brandeburgico* Vol. I. p. 208. *) Hercules ibi Palladis, palmam illi porrigentis, dextrae dextram iungit, facessere iubens Venerem, puero suo comissabundo comitatam et truculento Palladis vultu depulsam. Hanc Voluptatem, illam Virtutem esse Xenophonteam, subtiliter monet Archaeophilus. Verbum non addamus. Diximus.

Quod restat, operae pretium procul dubio facturi essemus, si et tempus pateretur et libelli consilium, picturas recentiorum artis Apelleae magistrorum, qui in hoc argumento dexteritatem, qua pollebant, periclitati sunt, recensere singulas. Habet enim haec allegoria, quod prae ceteris alliciat indolis generosae homines, gratiosa inprimis in aulis principum et palatiis procerum, ad calcaria iuventuti in faustis parentum penetralibus educatae addenda efficacissima. Meministi, BECKI *Illustrissime*, quanta cum voluptate legeres praefationem Gesnerianam, cum adhuc in schola Thomana versareris, Chrestomathiae Plinianae praefixam, in qua Mareschalli generosissimi apud Vimarienses rerum civilium administri filium Herculis Prodicii instar, adulatorem inter et amicum consilia de futura vitae conditione agitantem constituit. Enimvero segnius irritant adhortationes per aures demissae, quam quae fidelibus subiectae sunt oculis. Quamobrem celeberrimi pictores inde a recentioris picturae incunabulis in eo argumento impense elaborarunt. Et praesto mihi ipsi sunt tabellae sedecim aeri incisae, quae picturas reddunt, aut plane similes aut huic argumento affines, a me, harum delineationum, quae antiqua faciunt recentia ut sint, cupidissimo, magno interdum pretio paulatim comparatae et collectionibus monumentorum antiquorum, per classes divisorum, additae. **) Nolo Tibi, cui graviora et reipublicae longe utiliora negotia his oblectamentis pascere animum vix unquam permittunt, quamquam vidi Te in Speckii nostri pi-

*) Repetit gemmae imaginem Begerus in *Hercule Ethnicorum e variis antiquitatis reliquiis delineato* (Berol. 1704.) tab. 4. Raspius scientia in diiudicandis gemmis haud contemnenda praeditus, ad ingenium Valerii Belli nobilissimi saeculi XV. (*Centocinguisti*) scalptoris apud Italos hoc scalpturae genus propius accedere observat in Catalogo Tassiano n. 56 76. p. 340.

**) Optaverim equidem, ut quae per longum annorum spatium aere meo et studio indefesso accumulavi seposuique monumentorum antiquorum imagines una cum bibliotheca archaeologica et supellectile antiquaria ne distraheretur auctionis lege, sed vel a privato homine, harum deliciarum studioso, vel auctoritate publica, ludo ut inserviret literario, emeretur. Mihi vasa iam conclamanti alia circumspicienda sunt viatica.

nacotheca instructissima obambulantem picturis, quae reliquis praefulgent, contemplandis mirifice delectatum esse, nolo, inquam, Tibi his sigillatim percensendis, aut tempus eximere, aut creare taedium. Unam tantummodo picturam e laetissimo, quem tulit maiorum aetas, harum tabellarum feracissima, proventu seligere et delibare in animo est. Nam quae in lacunaribus tectorio inductis in palatiis Farnesiorum et Barberiniorum penicillo expresserunt pictores nobilissimi Annibal Caraccius et Petrus Cortonensis, post Ramdohrii, Spaethii aliorumque cantilenas iterum atque iterum ad nauseam usque decantatas, iam pervulgata sunt, hic repetere putidum foret. Omnibus, quantum intelligere potuimus, palmam praeripuisse videtur pictor e Gallia oriundus, sed Romani aëris felicissimo haustu corroboratus Romanorum potius, quam Gallorum artificum in censum referendus, Nicolaus Poussinus, in allegoriis ingeniose admodum componendis facile princeps. Atque hic Herculem quoque Prodicium elegit, in quo ingenii, quo aequales suos tantum non omnes antecelleret, emicarent igniculi. In manibus est iis, qui pretium his statuere et quas Plutus illis propitius rei bene gerendae benigne suppeditavit opportunitates non a Cephalo tantum aut Telete, *) sed ex iucundissima divitiarum bene collocatarum conscientia et usu didicerunt, imago huius picturae a cultissimo Britannorum chalcographo, Roberto Strange, tabellae aeneae incisa. Prima picturae dos est, ut quae praecesserint et quae actionem oculis nostris cum maxime obversantem proxime sequutura sint, in ea statim oculos nostros feriant. Scite admodum et magna cum dexteritate his regulis satisfecit Poussinus. Desiit loqui, quam ad dextram Herculis collocavit, voluptatum machinatrix femina, conatu irrito. Heros enim, vultu meditabundo, ex quo ponderasse illum feminae illius sermonem manifesto apparet, at capite ad Virtutem, quae sinistrorsum accessit, inclinato, quorsum vergat, dubitari non

*) Ecquis est, qui exordium libri primi de republica, in quo Plato colloquium narrat Socratis cum Cephalo, non in sinu ferat et pectore? Sed exstat etiam fragmentum illustre Teletis, facundi e familia Pythagoraeorum philosophi, qui in eo libro, quem *περὶ συγκρίσεως Πλούτου καὶ Ἀρετῆς* conscripserat, de divitiarum commodis commode disputavit, ad Herculis Prodicii exemplar se componens, Plutumque quot quantaque mortalibus afferat beneficia, Penian adversariam ut lacesseret, Aristophanis scilicet premens vestigia, praedicantem induxit, in quibus et illud est: *τέχνας πάσας ποιῶ κρείττονας* apud Stobaeum Vol. III. p. 225 ed. *Gaisford.* Optandum sane, ut quam operam nuper Musonio navarunt viri doctissimi apud Batavos, Teletis quoque fragmentis impenderet iuvenis aliquis periculum facturus in arte Critica eaque cum *Ῥοδωνιᾷ* Macarii Chrysocephali, in bibliotheca S. Marci Venetiis conservata (v. Morelli Bibliothec. MSS. p. 318) comparando collocupletaret.

potest. Gestus utriusque mulieris simplicissimus, idemque significantissimus. Dextra altius sublata montis ardui in remota regionis parte conspicui verticem monstrat Virtus. Manu demissa descensum facilem ad vallem amoenissimam ostendit Voluptas. Sic totus mimus peragitur. Cultus et vestitus utriusque mulieris ad amussim respondet iis, quae refert Xenophon. *Φαινόμηρις* tunicae laciniis ad femur usque discedentibus est Voluptas, defluente ab humeris et papillas nudas ostendente tunica, fibulis et strophiolo gemmis distincto constricta coma cincinnis cirrisque nitidissime implexa. Virtus contra, omnes istiusmodi exosa offucias praestigiasque, tunica simplicissima et ad talos demissa induta, capillum taenia purissima constrictum ostendens, nativa placet munditie. Unum, ut pictura disertius loqueretur, addidit artifex castigatissimus. Puer alatus adstat Voluptati, rosae ramusculum offerens Herculi, fortiter, ut par est, recusanti. Sed quis oratione exequatur, quae penicillo foecundissimo expressit tabulae artifex? Nae, sordent ad haec et evilescunt tabulae pleraeque aliae ad eandem allegoriam exornandam factae, adulationi principum plus iusto inservientes et in figuris addititiis multiplicandis pueriliter luxuriantes. *) *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* **)

---

*) Archetypum tabulae in pinacotheca Henrici Hoarii tum temporis propositae, ab ipso chalcographo delineari potuit, cum manum admoveret ad illud anno 1759 aeri incidendum. Magnum illi accedit pretium ex eo, quod in plerisque pulchre convenit cum disputatione Britanni elegantissimi, Comitis de Schaftesbury, qui in Sylloge praestantissima *Characteristes* inscripta T. IV. p. 1 — 34. terse admodum et perspicue exposuit sententiam suam, quo pacto iudicium Herculis a pictore sollerti tractandum sit, in dissertatione, cui titulum praefixit: *the Judgment of Hercules*, (adi sis Bibliothecam literarum elegantiorum *Bibliothek der schönen Wissenschaften*, in serie voluminum antiquiore Vol. II, P. I. p. 1. seq. in qua sententiam de hac Britanni disputatione tulit Criticus Germanus).

**) Non pigebit, adiicere hic corollarii loco, quod cum supra scriberemus de Horis in scenam veterem inductis et a Prodico in ambitu universae fabulae de Hercule ad partes vocatis non succurrebat, apprime huc facere vas eximium in collectione Comitis de Lamberg a Comite Labordio, cuius prolixae voluntati multa me debere per hos triginta annos gratus profiteor, edita Vol. I. tab. LXVI. in qua sacra Dionyso celebratur comissatio, (nam *ΚΩΜΟΣ* Satyrus ipse adest gesticulans) a *Θιασώταις* Bacchi, in quibus tres Nymphae primitias offerunt Deo in media turba placido vultu assidenti, quarum nomina super capita illarum scripta leguntur *ΟΠΩΡΑ*, *ΕΙΡΗΝΗ*, *ΕΥΝΟΜΙΗ* (hoc enim e literis evanescentibus facile est ad divinandum) unde patet, Horas esse quae *συνθιασῶται* Deo praesto sint. Insunt vasi literato alia nomina, quae facile agnoscas, a Labordio in Commentario p. 78. non neglecta. Sed magnam profecto a Viro humanissimo inierit gratiam, qui corruptelam viri insidentem nomini tollere et praestantissimae picturae novam lucem affundere studuerit.

IV.
EPIMETRON
De imagine ephebi inter Voluptatem et mysteriorum bacchicorum antistitam collocati, et in vase depicti inedito.

Decem anni sunt, ex quo Robertus Winspearius, illustri loco e natione Britannica natus Neapoli, (ubi pater eius domicilium fixerat negotiis civitatis administrandis admotus, a quibus cum sese abdicasset, senex septuagenarius, ut otium oblectaret suum Anacreontem vertit versibus Italicis *) dono mihi misit duo vascula Italograeca, pignus ut essent veteris amicitiae communibus studiis inter nos conciliatae, cum relicta patria per integrum et quod excurrit annum Dresdae commoraretur et studiis historicis sermonique theotisco addiscendo totum se emancipasset. Fidem dedi viro amicissimo, causarum in curia Neapolitana nunc patrono disertissimo et, ut in urbe clientium litigantium plena, negotiosissimo, me picturas utriusque vasculi illustratas nomini eius inscripturum esse. Atqui stare hactenus promissis non potui, moras, ut fit, et procrastinationes de die in diem trahendo. Iam vero diei, qua Tua celebrantur sacra semisaecularia, BECKI Illustrissime, solemnitas, et quae raro mortalibus contingit provectioris aetatis felicitas postulat, ut si quid reconditum habeam in loculis secretioribus et auro contra non carum, id diligenter expromam Tibique sempiterni amoris tesseram dedicem. Ergo, quod mihi semper fuit κειμήλιον, vasculi picturam nondum editam Tibi hodie offero, et Winspearium meum huic dedicationi calculum suum additurum esse, habeo persuasissimum. Ipse enim, cum Dresdae degeret, nundinas mecum adiit Lipsienses, Te inprimis salutaturus, e cuius commentariis historicis maximum ad se utilitatis fructum redundasse ingenue profiteretur, sermonibusque Tuis magnopere recreatus gratissimam Tui semper coluit memoriam. Porro autem, ut et Tibi et aliis, qui hanc epistolam propter nomen Tuum illi inscriptum perlustrandam

---

*) Edidit Robertus Winspearius Anacreontis versionem novam a patre septuagenario, studio fallente laborem, versibus Italicis ad metrum Anacreonticum compositis eleganter admodum et sapore vere vernaculo concinnatam: *Le Odi di Anacreonte, recate nuovamente dal Greco in verso Italiano*, Venezia 1817. pp. LIII et 182 octonis, typorum et chartae nitore commendabilem. Habes ibi in fronte caput senis Anacreontici aeri incisum. Prolegomena et notae filii, pietate et eruditione eminentis, non adumbrata, sed expressa habent polymathias vestigia.

sibi esse putent, species imaginis illius ponatur ob oculos, pictura lineari illam in aes incidi iussi, eamque delineationem ad calcem huius epistolae adiici.

Vasculum ad magnitudinem sesquipedalem, forma est rotunda in collum desinens angustius, in antica parte tres figuras habens, uberius a me illustrandas, in postica flosculorum pingui Minerva depictorum calices et folia e solo propullulantia. Figurae stilo gnaviter circumducto delineatae e nigro, qui superficiem vasis cooperit, colore eminere videntur, ad monochromata nempe referendae. Iam figurae ipsae quid significent, dispiciamus. Ephebum cernimus inter duas collocatum mulieres, quarum altera ad illum conversa speculum, in quo se ipse contempletur, dextra sustinet, cistulam portatilem sinistra gestans, altera considens cum cygno sese oblectat, qui in gremium eius advolavit, tympano Bacchico ad latus eius suspenso. Habes scenam tribus personis compositam, quam ad initia Bacchica pertinere et ephebi iamiam initiandi optionem inter feminam ad voluptatis delicias perfruendas invitantem, et sacrorum antistitam, adolescentis animum ritu, qui *ἐςοπτρισμός* appellabatur, ad doctrinae mysticae praecepta imbibenda adhortantem repraesentare putamus, hanc unicam esse viam et rationem, qua veteres antiqua de Hercule ad bivium constituto fabulam adumbrandam esse duxerunt. Non capit haec epistola copiosiorem, qua singula penitius excutiantur, dissertationem. In arctiorem igitur gyrum redacti pauca ex iis quae afferri possent, delibare sufficiat.

Ut ab hoc incipiamus, ephebum hic cerni seu tironem, ut vocabulo utamur apud Romanos usitato, sed ad eandem fere significationem revocando, primo obtutu patet. Apud Athenienses iuvenes, anno XVII. aetatis exacto inscribebantur publice ephebis, et a ludi literarii exercitiis et paedotribarum castigationibus transibant ad gymnasia, ad fori et militiae tirocinia, erantque sub magistratu, qui mores eorum severiore disciplina coerceret, *Σωφρονιστῶν* nomine ex inscriptionibus Atticis, quarum largissima adhuc exstat messis, scriptoribusque Atticis satis cognita et perspecta. *) *Σωφρο-*

---

*) Locos Aeschinis Socratici Dial. III. 8. p. 131 seq. et egregium Teletis fragmentum apud Stobaeum (tit. XCVIII.) Vol. III.) p. 297. *Gaisf.* laudasse sufficiat, e quibus epheborum apud Athenienses disciplina abunde patet. Brevitatis studioso liceat ad ea recurrere, quae olim iam scripsi Vimariae in prolusione *de originibus tirocinii* (1794.) p. 13. Nondum legeram, cum illa scriberem, praeclaram de epheborum disciplina disputationem I. M. Gesneri ad marmor Cassellanum in *Commentariis Gottingensibus antiquioribus* T. III. p. 38 — 49. De *σωφρονιστῶν* magi-

σύνην nempe, temperantiam et modestiam animis illorum infigendam esse censuerant maiores, qui institutis prudentissimis constabiliverant civitatem. *) Transiit haec disciplina haud dubie etiam ad Graecos in Italia inferiore colentes, id quod pulchre docuit Ignarra in libro praestantissimo *de palaestra Neapolitana.* Atque huc pertinet etiam strigilis usus in palaestris et gymnasiis frequentissimus adeo, ut si iuvenem nudum cum strigili in monumento antiquo reperias, statim ephebum te cernere intelligas. **) Itaque nostra quoque

stratu, in quorum numero ad Grammaticorum scripturae vitio laborantium fidem exaggerando magnopere peccatum est a viris doctis, subtiliter disputavit Boeckhius, Vir Illustr. in nota doctissima ad *oeconomiam Atheniensium* Vol. I. p. 256 et novissimum Inscriptionum Graecarum corpus, immensi laboris opus, quod auctoris nomen immortalitati consecrabit, T. I, n. 271. p. 371. Eosdem et κοσμητὰς dictos esse, nunquam dubitavi. Monuit *Combius* in commentario ad marmora musei Britannici: *Description of the ancient Marbles in the British Museum* T. II, pl. XXXVI. monstrat locus Teletis l. l. qui quos Aeschines modo κοσμητὰς, modo σωφρονιστάς appellavit, simpliciter appellat κοσμητάς, verba faciens de ephebo, qui τὸν κοσμητὴν φοβεῖται.

*) Tritum et omnium ore decantatum est illud Horatianum ad Atticae disciplinae normam exigendum A. p. 410: *Multa tulit — abstinuit venere et vino.* Atque inprimis cavebant, ne voluptatum illecebris irretirentur et corrumperentur, ad quam severiorem disciplinam pertinet insignis locus Aristophanis in Nub. 958. et tota Aeschinis adversus Timarchum oratio. Nam haec est illa σωφροσύνη, quam subinde inculcat Socrates Platonicus in Cratylo p. 268 in Charmide p. 233 A. in Gorgia p. 305. F. seq. et in sexcentis locis aliis. Multa haud protrita in hanc rem dedit iam I. Matthias Gesnerus in *Socrate sancto paederasta* in *Comment. Gotting.* T. II. p. 20.

**) Ex innumeris, quae in promptu sunt, exemplis, testimonium denunciare iuvat duabus vasorum picturis in collectione Coghilliana a Millingio edita pl. XV et XXV. In posteriore femina amplissimo pallio amicta lauream offert duobus ephebis, quorum posterior strigilem complectitur. Monet ibi Millingius p. 28 aureas strigiles interdum datas esse praemia victoribus in certaminibus gymnicis, quod probari potest loco Xenophontis Ἀναβ. I, 2. 10. ubi victores in Lycaeorum certaminibus accipiunt στλεγγίδας χρυσᾶς. Laborant ibi interpretes in significatione vocabuli, laminam etiam, quae taeniis capiti *mulierum* affigebatur, significante, definienda et de laminis illis crinalibus intelligunt. Id quod Boeckhius etiam in commentario ad inscriptionem Chandiclianam *Staatshaushaltung der Athenienser* Vol. II, p. 330. confirmat. Sed qui militibus ornamenta ista muliebria distribui potuerint, equidem non capio. In medio rem reliquit Bornemannus in editione novissima p. 14. Praestat cum Suida s. v. στλεγγὶς T. III, p. 377 de ξύστρᾳ sive de strigili accipere. — Ingeniosa est opinio a Millingio ibidem proposita, femina, quae lauream offert, deam Palaestram Mercurii filiam hic conspici. Laudat Palaestrae iconem in Philostrati iconibus II, 32. refragante eruditissimo *Welckero* p. 561. Nimirum Palaestrae nomen huic feminae palliatae et toto figurae habitu a nuditate et forma mascula, qua Palaestra in anaglypho Pio-Clementino adhuc conspicitur, prorsus abhorrente,

figura strigilem manifestum ephebi signum esse, quis dubitet? Et pulchre huic respondet baculus ante illum solo infixus (aculeo nempe in inferiore parte munitus, ut σαυρωτήρ in hastis), ansatus, id est manubrio utrinque prominente in superiore parte ita instructus, ut et pedibus debilitatum vel claudicantem melius sustentet, et solo infixus opportunitatem suppeditet, vestimenta, quae exueris, superiniiciendi. *) Sed oculos nostros in se convertit etiam vestimentum ipsum dignum, quod examinemus. Chlamydem *epheborum insigne* hic cerni, vel e limbo purpureo, qui oram ambit, colligere possumus. Egimus de illa in prolusione de tirocinio supra laudata p. 13. et tralatitium est, in praestantissimis Mercurii, epheborum dei tutelaris, statuis eandem observari, quod passim notavit Visconti us. Versus Ovidii in describendo Mercurii filiabus Erechthei iam appariturі cultu nitidissimo Met. II. 732 — *chlamydemque, ut pendeat apte, collocat*, in ore est omnibus. Nec obstat, quod non Athenis, sed in oppido Magnae Graeciae in Bacchanalibus res administretur. Nam in his parum inter se discrepasse videntur, quantum efficere possumus e contemplatione vasorum pictorum. Hunc igitur ephebum oculos animumque defixum tenere in mulierem illi adstantem et admonitionibus, nisi egregie fallimur, adhortantem in aperto est. Baccho initiatam esse mulierem patet e cista mystica, quam sinistra sublatam tenet, de qua post tot doctissimorum virorum disputationes verbum hodie addere, nil attinet. Sed iubet eadem inspicere in speculum, quod pedissequarum vel ancillarum instar dominarum ornatui inservientium, illi offert. Iam

---

non convenire, res ipsa docet. Sed est antistita sacrorum Bacchicorum, ephebo, qui sacris Bacchicis initiaretur, lauream porrigens, victoriae in certamine aliquo partae ἆθλον.

*) Baculorum et scipionum, quibus inniterentur, multiplex fuit apud Graecos Romanosque et species et usus. *Σκυτάλια* (Laconibus usitata,) et *Βακτηρίας* distinguit Theophrastus in Histor. Plant. IV, 5. p. 347. ubi Bodenius a Stapel more suo captat inania. Si a iudicum *Βακτηρίᾳ ὀρθῇ* discedas, de qua, ut de toto baculorum gestandorum more egimus in Illustrationibus vasorum Tischbeinianorum *Vasengemälde* P. II. p. 61 seq. senum tantum fuit vel delicatorum hominum *τὸ βακτηριοφορεῖν*. Itaque nil baculo, ubicunque occurrit, significantius. More suo, id est, doctissime de hac re iam disputavit Is. Casaubonus ad Theophr. Charact. V, p. 45. seq. *Fisch.* cui sua addit Duckerus ad Thucydidem V, 84. Anchisem baculo eiusmodi ansato instructum videmus in luculento vase Vivenziano apud Millinum T. I. tab. XXV. ubi rem obiter perstringit Millinus p. 51. Sed occurrunt eiusmodi baculi aliquoties in vasis Tischbeinianis in picturis Epheborum mores referentibus, vestimentis superimpositis, quae quidem quatuor ponderosissima volumina pervolutando investigare non vacat.

ineptum foret dignumque, quod naso adunco suspenderent derisores omnes, affirmare, reapse huic adulescentulo, ut se muliebriter ornet et cerussa fucoque genas expingat, speculum oblatum esse.*) Non potest hoc aliter explicari, quam sensu symbolico vel mystico. Itaque ad initiationes et mysteria totam scenam spectare, res ipsa clamat, et iam eo redacti sumus, ut rem sacram hic peragi, vel inviti fateamur. Pertinet hoc ad quaestionem de ephebis, in sacris Liberi et Libeberae initiandis, quam pererudite et ingeniose tractavit Creuzerus cum aliis in locis, tum in Symbolicis disquisitionibus, *Symbolik* T. III. p. 514. in qua tenendum est illud, diversa plane fuisse Bacchanalia (*Βακχείας καὶ τελετὰς ἀποῤῥήτους* appellat Dionysius Halic. I?, 18. p. 273.) ab incolis magnae Graeciae celebrata a mysteriis Cereris et Iacchi, aliisque Graeciae ipsius initiis, a quibus illa paullatim degeneravisse vel ingenio et alacritati populorum stirpis Doricae magis accommodata, vero consentaneum est.**) Iam cum dimidia ut minimum pars picturarum in vasis Italograecis expressarum ad istas initiationes et *mimos*, si discrepantia inter se et longe remota copulare fas est, *mysticos*, spectent, apparet, in nostra quoque imagine mimum istiusmodi sacrum agi, et feminam, quae speculum offert ephebo, perpetrare, quod initiorum iuberent formulae. Nec quemquam, post tot quaestiones de speculorum usu mystico diu multumque agitatas, illud hodie in controversiam vocaturum esse, putamus, speculi inspectionem cum doctrina qualicunque, sed recondita de animae labe corporis contaminatae maculis eluendis cohaerere.***) Re-

---

*) Cogitemus opprobrio datum esse olim Othoni, quod speculum haberet sub pellibus et in castris (cf. VV. DD. ad Phaedrum III, 8. 4.)

**) Tractavit hunc locum accurrate iam Passerius, in primis in Paralipomenis ad Demsterum, dignus profecto, qui audiatur, si ab uno illo errore, sed gravissimo, Etruscorum haec fuisse, non Graecorum, te abripi non patiaris, a quo sibi cavere non potuit magnus Heynius in commentationibus Gottingensibus, inprimis in ea, qua egit *de vestigiis domesticae religionis in artis Etruscae operibus* in *Nov. Comment. Gott.* T. VI. P. II. quippe qui nondum versaretur in ea literarum luce, quae postea affusa est his religionibus. Saniora dedit Millinus in Introductione ad picturas ineditas. Liceat mihi brevitatis studioso digitum intendere ad dissertationem in *Archaeologia picturae antiquae* p. 193 — 233. Locus classicus est et pro fundo totius disputationis habendus de Bacchanalium subito erumpentium et SCto Postumiano exstirpatorum licentia apud Livium XXXIX, 8. Nec poenitet sententiae nostrae, quam emisimns super hanc rem in Prolusione *de originibus tirocinii* p. 11.

***) Atque hic est ille *ἐσοπτρισμός* mystarum, in quo e Platonicorum placitis illustrando et ad animae faecibus terrenis sese immersurae desiderium referendo acute, ut solet, et apposite disputavit is, qui palmam

stat altera femina cippo insidens, cui basis substrata est lapidea, brachiis extensis delicias faciens et alludens nequiter cygno advolanti in gremium. Protendit sinistram, ut permulceat alitem et blanditiis deliniat dextra nitenti similis. E thiaso Bacchi illam huc venisse, monstrat tympanum grandiusculum, pelle intentum et lineis scite depictis variegatum, quod in umbraculis, quorsum pertinet haec scena, arbori suspensum fuisse, suspicari possumus. Tunica limbo praetexta fibulis super humeros constricta δωρίζει *). Nec deest peplum, ad femora delapsum, quo gremium efficiatur mollissimum, avi advenae suffugium et receptaculum. Dici non potest, quantopere in cycnis, qui feminis abblandiuntur, luxuriaverit priscorum artificum ingenium. Volumen sat spissum vix caperet dissersationes, quibus haec exponi enuclearique possent. Sed nec patitur modulus libelli huius, raptim conscripti, nec verecundia Tibi, Vir Amplissime, hoc in primis tempore

---

in his indagandis praeripuit omnibus Creuzerus in *Symbolik* T. III, p. 496. seq. in compendium redactus a Mosero V.Cl. p.688.seqq. Quibus iam addi possunt, quae eleganter disseruit idem Creuzerus in Prolegg. ad Plotinum de pulchritudine p. LIX, seq. Praeiverat Millinus in explicationibus vasorum a se editorum. Nam vasis Italograecis tota haec continetur mysteriorum revelatio. Locos antiquiorum scriptorum haec profanis omnibus tradere nefas habentium, laudari non posse, nil mirum. Sed consuluisse iuvabit locum Olympiodori ad Platonis Alcibiadem priorem p. 9. cum nota Creuzeri. Adde *Lobeckium* eruditissime in haec inquirentem in dissertatione *de morte Bacchi* p. 9. Digna inprimis quae cum pictura in vase nostro inedito comparetur, est scena mystica in vase Erbachiano; tabellae lapidi inscriptae ectypon dedit Creuzerus in iconibus, quas addidit dissertationibus symbolicis, *Abbildungen zur Mythologie* tab. IX. sed incuria lithographi mutilum. Sed et hic ephebus mysta in solitudine, speculo, quod manu tenet, se ipse contemplans, adstante femina Bacchica, taeniam sacram illi porrigente. Si plura desideras, fac initium a Passerii Vasculis T. II. tab. 98. Adi vasa Tischbeinii T. II. tab. 47. Collectionem Coghillianam tab. 59. et quae Millingius observat p. 42. Nec praetermittenda silentio est quaestio novissime multum agitata de pateris Tuscanicis, quae *specchi mistichi* appellavit et duobus voluminibus in opere splendidissimo *Monumenti Etruschi* inscripto complexus est eruditissimus antiquitatum Etruscarum scrutator Franciscus Inghiramius, in quibus diiudicandis sollerter versatus est Ottofredus Müllerus, tum in censura Operis in *Ephemeridibus Gottingensibus,* 1828, p. 870, tum in recentissimo opere de Etruscis composito T. II. p. 225. et in additamentis p. 358. Nam magna cautione opus est, ne in mystico illorum sensu explorando aberremus a via et in deverticula delabamur ab ingenio populorum, qui illis usi sunt, plane remota.

*) Quid hoc sibi velit, exposui in dissertatione de Cassandra in pictura vasculari expressa, *über den Raub der Cassandra* (Weimar 1794.) p. 60 seq. Sed egregie et enucleate rem universam complexus est Ottofr. *Müllerus* in opere: *die Dorier* T. II. p. 263.

debita. Nam fasces Te circumstant reipublicae literariae. Res supercilii plena, quod hodie tamen Te remissurum esse, quovis pignore contendunt, qui Te norunt, amici et necessarii. Pauca vel primoribus, quod aiunt, digitis attigisse sufficiat. Pervetusta de Iovis, cycni specie fallentis, concubitu cum Leda est fabula, multifariam narrata et variata. *) Arripuerunt argumentum sanequam lubricum et mirifice sollertiam suam in eo venditarunt artifices Graeci *post* Praxitelis aetatem. A signis et statuis res transiit ad icunculas aere expressas, ad gemmas, ad anaglypha figulina **), ad pateras nunc specula mystica appellatas ***), ad numos Camarinensium****) cet. Enimvero eminent in his monumentis plures statuae, Ledae nomine in vulgus notae, in quibus reliquis praecellere putantur Capitolina et duae Florentinae. Sed otium nobis fecit illis recensendis eruditissimus rei antiquariae apud Romanos praefectus Carolus Fea in dissertatione secundis curis perpolita de monumentis Ledam repraesentantibus (*Osservazioni sui monumenti delle belle arti che rappresentano Leda*. Ed. II. Romae 1821), in qua refellere studuit Adamum Fabronium, Museo Florentino praefectum, qui peculiari diatribe signum Florentinum ad Glaucen Lamiam, Demetrii Poliorcetae amicam formosissimam pertinere demonstrare conatus fuerat. Carolus Fea igitur plus quam viginti statuas, vel integras, vel mutilas et e fragmentis tantum diiudicandas longo agmine nobis ob oculos ponit Ledarum cycni illecebris delectatarum. Multa in hac lite disceptanda occurrunt valde ambigua et expeditu difficilia. Nam primum, anserne nobis in illis signis conspiciendus detur†), an cycnus, sub iudice lis est, et magnam dubitationem interdum affert exiguus

*) Consulat, cui otium est, locos scriptorum veterum in Hygini editione Staveriana p. 150 seq. congesta. Praeiverat iam Meziriacus, in uberrimo Commentario ad Heroidas Ovidii gallice scripto T. II, p. 254 seq. Duplex de Leda et Nemesi fabula nisi accurate distinguatur, omnis luditur opera.

**) Exemplo est lucerna meretricia in sylloge a Millino edita *Recueil de fragmens de sculpture antique* pl. XXVIII, 3. repetita illa in Creuzeri imaginibus ad mythologiam eius symbolicam illustrandam collectis tab. 51. 4.

***) Vid. Cong. Middeltoni *germana quaedam antiquitatis monumenta* tab. XIII. et Inghiramii Monumenta Etrusca *Specchi mistichi* T. II, p. 330. seqq.

****) In Museo Hunteriano tab. XIV. 9. 10. apud Principem de Torre Mutio tab. XVIII, 1 — 3. Adde Mionetti Catalogum T. I, p. 222.

†) „Anser Priapi deliciae, omnibus matronis acceptissimus" verba sunt Petronii c. 137. p. 652 ed. *Burm.* idemque mysticus, quod docte edisseruit Creuzerus in Symbolicis Vol. III. p. 440 seqq.

alitis in gremio Ledae delitescentis modulus. Deinde reputemus et illud, non unum eundemque sensum ex artificum ingenio inesse his monumentis, cum in hoc simulacro plus minusve indulgerent nequitiae non solum artifices ipsi, sed etiam, quibus illi operam locarant suam, Graeci Romanique, harum formarum et symplegmatum amore flagrantes ardentissimo. Alia enim in his signa voluptuosissima sunt, amoris aestum spirantia, in quibus primum locum obtinet signum pulcherrimum marmore Graeco ita elaboratum, ut a manu excellentissimi artificis profectum esse videatur, in atrio bibliothecae Sancti Marci Venetiis expositum et a Zanettio (*Antiche statue nella Sala della libreria di San Marco* T. II. tab. V.) in aes nitidissime insculptum illustratumque, cuius praestantiam dilaudavit elegantissimus antiquae artis spectator Thierschius noster in narratione itineris Italici (*Reisen durch Italien* Vol. 1. p. 240 seq.) cuius, ut obiter hoc moneam, secundum volumen avidissime exspectant omnes, qui his pretium statuere didicerunt. *) Alia magis pudori consulunt, in quibus artifices rem turpiculam involucro callide velaverunt, dum avem procacissimam ab aquila imminente in timorem coniectam ad Ledam confugisse et in vestimentis eius late-

*) Non possum non, oblata hac occasione mentionem quoque Musei nostri Dresdensis aliquam iniiciendi, affere in medium, quod mihi diu multumque marmora nostra contemplanti, in statua meae quoque fidei commissa consideranda venit in mentem. Expromam brevissimis. Percellit admiratione animum et miro nitore praestringit oculos pulcherrimi signi, temporum iniuria ita truncati admutilatique, ut praeter corporis ad pubem usque nudi partem dimidiatam et humerum dextrum lacertumque illi adhuc adhaerentem nil sit, quod vere antiquum appellari possit. Sed nil est pulchrius, nil magis ad unguem factum et perpolitum, quam quod aetatem tulit, fragmentum, tribus quatuorve interpolationibus antiquitus iam conglutinatum dicam an deturpatum. Casanova olim iam ad illius pulchritudinem obstupescens exclamat: „questa statua è del piu antico e delicato stilo, quando l'arte era giunta al piu alto punto della perfezione" *Discorso sopra gl'antichità di Dresda* p. XX. Suffragatur elegantissimi iudicii viro Beckerus, qui illud delineari aerique incidi iussit in *Augusteo* tab. XLIII. cf. Catalogum Musei nostri ab amicissimo Hasio nuperrime confectum n. 183. Venerem hic nobis conspiciendam dari, censuerunt hactenus omnes, qui mirabundi in illam defixerunt oculos, ad speciem Mediceae leviter illud deflexum esse rati. Nec valde pugnaverim cum illis, qui hanc sibi induerunt opinionem. Ego vero semper putavi esse fragmentum Ledae, ad cycnum delicato corporis flexu se demittentis. Perierunt, quibus rem ita se habere colligere possumus, in hac statua misere detruncata, membra et vestimenta omnia. Armillam videmus in lacerto haerentem eandemque in statua Zanettiana, de qua in Ledae statuis semper obvia disputavit Fea p. 8. Sed parum proficimus hac similitudine. Sunt alia, quibus coniecturae meae firmamentum accedere reor, opportuniori scribendi occasioni re-

bras invenisse acceptissimas finxerunt. Scilicet ut paucis in re parum honesta defungamur, cum Iovis maiestas non pateretur, in furtis eiusmodi amatoriis fucum facientem mulieribus earumque pudicitiae insidiantem fingi a priscis artificibus, quippe quem ne in scenam quidem propter summi numinis reverentiam, nisi raro admodum, inductum esse, docte nuper, ut omnia, et acute monuit Godof. Hermannus, cuius immortalia merita in Literas Graecas Romanasque et in Academiam Lipsiensem et in Te ipsum, BECKI Carissime, collegam diuturna consuetudine et usu probatissimum, si laudum praeconiis ornare vellem, verendum sane esset, ne atterere laudes eius infantia mea viderer. *) Itaque in cycni gratiosissimi apud antiquos artifices avis figuram verterunt Iovem transformatum, ingeniose admodum Deorum patri lenocinati. Sed est aliud, quod fugisse videtur aciem antiquitatis studiosorum plerorumque omnium. Causa, ob quam cycni blanditias in Ledam collatas miro studio frequentavit multiplicavitque ars prisca, mihi posita esse videtur in euphemismo, si hac voce sic uti fas est, artis quodam prudenter adhibito, duplicem utriusque sexus voluptatem Ledae et Ganymedis lusibus cum cycno et aquila obtegente, ne spintriis offenderentur spectatorum matronarum puerorumque praetextatorum oculi et statuis tabulisque peccare docentibus in monumentis omnium obtutui patentibus. Itaque verecundiae aliquid dandum esse et pudori arbitrati sunt artifices. Haec si quis penitius perscrutetur, veram horum monumentorum, latissime patentium significationem sibi apertam esse sentiet. Nec mihi ullum unquam dubium fuit, in initiis quoque et ceremoniis Bacchicis cycnorum imaginibus et lusibus locum relictum fuisse haud postremum, ingeniosamque choragorum in mimis illis componendis hac quoque in parte exsplenduisse industriam. Id quod aperte sequitur e compluribus vasorum picturis, in quibus cycni quoque nitidissima emicat imago. Nam ut silentio iam

---

servanda. Et adest Hasius testis statuarum praecipuarum, quas Italia suspicit, oculatus et ad opinionem meam examinandam a me ipso peramanter invitatus, collega humanissimus. Habemus in museo nostro Ledae cum cycno colluctantis symplegma aliud exigui moduli, in marmoribus Dresdensibus a Le Plat publicatis, aere exscripti, *Recueil de marbres* tab. 131. Sed ad putealia hoc pertinet sigilla, pingui Minerva sculpta, nullo in loco et numero habenda.

*) Nam vere dici potest, eius ob os non solum omnes, quotquot in Saxonia sunt venustiorum doctiorumque hominum, sed per Germaniam, Britanniam, Francogalliam cet. os obvertere suum. Locus quem indicamus, exstat in praeclara de Aeschyli Niobe dissertatione in *Opusculis* Vol. III. p. 52. seq.

praetermittam figuras formosissimarum mulierum, Veneres vulgo appellant, cycnorum ministerio, quo evehantur ad coeli templa, ut cum Lucretio loquamur, utentium,*) in quibus Liberam post nuptias in terris peractas iam ad aetherias domos elatam conspici, si quis contendat, non repugnabo, quamquam, ut Millini sententiae, rem in ceremoniis Dionysiacis, machinarum ope, spectatorum oculis revera subiectam esse autumantis, calculum addam, nondum inducere possum in animum. Sed apprime huc facit, cycnumque in ceremoniis Bacchicis mystis, qui epheborum imbuerentur initiationibus, varia ratione monstratum esse, docet pictura in collectione Lambergiana ab illustrissimo Comite Labordio edita F. II. tab. III. Habes ephebum baculo, cui chlamys iniecta est, innixum, manus protendentem ad feminam alatam, quae cippo altiori insidens porrigit cycnum, appictis utrinque duobus virginum capitibus grandioribus. Sed ohe, iam satis nugati sumus. Non possumus nunc his immorari amplius. Sed spero Te, Vir Excellentissime, pro eo, quod in Te est, acerrimi iudicii acumine non dubitaturum esse amplius, feminam in vase nostro, cycni tractatricem, alterique, quae speculum ostendit, exadversum collocatam, alio sensu vix accipiendam esse, quam allegorico. Porro autem cum per omnem antiquitatem mulieris cum cycno copulatae imago ad furta Veneris et Voluptatis irritamenta pertinere visa sit, hic quoque Voluptatis manifestari illecebras, nonne credibile est?**) Namque cum nil maiorem vim habeat ad castigandos iuvenum animos mollitie diffluentes et ad eradenda pravi cupidinis elementa, quam cohibere oculos ab omni impuritatis spectaculo, quo fenestra aperitur ad nequitiam, et cavere sedulo, ne adolescentuli, cerae sequaci similes, Paridis instar fiant παρθενοπῖπαι, apparet, custodes, qui moribus illorum tuendis invigilarent, debuisse hoc inculcare et infigere epheborum animis, quando iam eo

---

*) Exempla qui desiderat ex operibus inprimis figulinis expromenda, adeat disputationem, quam ad explicandum anaglyphum figulino opere effictum in Museo Britannico in Combii *Description of the Terra Cottas in the British Museum* tab. XXXV. inserui libello, Uraniae nomen prae se ferenti, qui Lipsiae quotannis prodit apud Brockhusios fratres (*Urania* 1824.) in limine operis, ubi, quae reperiri potuerunt, congessi omnia.

**) Erunt, qui anserem esse dicant, non cycnum. Et sic interpretatus est Labordius. Sed solennis haec est cycnorum et anserum confusio, quam copiose illustravit Fea in dissertatione paulo superius laudata. Et multum licuit pictoribus in his adumbrandis, ad quae naturae indagatores plane obstupescerent et monstra sibi occurrere clamitarent. Adi sis Millinum in *Vasis ineditis* T. II. p. 77 seq.

progressi essent aetatis, ut quamnam vitae rationem potissimum sequerentur, constituerent. Atque id ipsum innuit Aeschines Socraticus, cum de iis loquitur qui iam excesserint ex ephebis, in Dialogo III, 8. p. 132. quando anceps est animus, quorsum se vertat (ἐπέδυσαν φροντίδες καὶ διαλογισμοί, τίνα τὴν τοῦ βίου ὁδὸν ἐπιστήσονται). Quis igitur dubitet, fuisse etiam in τελεταῖς illis, quamvis summa hilaritate, canticis, exodiis, mimis denique peragerentur, semina virtutis sparsa,*) quibus iuvenum animi, custode remoto, liberius iam evagantes coercerentur et non solum ad εὐσχημοσύνην**), sed etiam ad σωφροσύνην rigide observandam confirmarentur? Quid multa? Ipse exposuisti, quae huc pertinent, omnia, BECKI doctissime, peculiari prolusione, qua orbem, quo educatio Graecorum contineretur, pererudite complexus es.***) Nec qui vasorum picturas diligentius ad examen revocaverit et inter se comparaverit, multa illius disciplinae ephebicae cum initiationibus coniunctae in illis exstare specimina, unquam in dubium vocare poterit. Huc pertinere arbitramur picturas, in quibus ephebo tibicinae pariter ac citharistriae aures praebenti optio datur, utrum ho-

*) Meminerimus oportet effati, quod legimus apud doctissimum Alexandriae antistitem, Clementem Alexandrinum Paedag. III. p. 257. C. *Sylb.* δοκεῖ ὑπὲρ πάντα τῆς τῶν γυναικῶν ὄψεως ἀπεστράφθαι.

**) Chlamydi manus cohibere docebantur ephebi, quod e diserto Artemidori *Ονειρ.* I, 54 p. 79. *Reif.* testimonio colligimus. Cf. Suid. s. v. *ἔφηβοι.* In magna Graecia chlamydi pallium substitutum fuit *Graecanicum*, quod componere debuerunt ad modestiam et decorem. Hinc derivanda est togae virilis datio apud Romanos. Atque in hoc cernebatur iuvenum εὐσχημοσύνη, id quod sexcenta docent in vasis simulacra iuvenum pallio ad collum usque involutorum (*Mantelfiguren*). Res iam tralatitia et in vulgus nota. Praeiverat in his omnibus e vasis pictis expediendis iam Passerius in Paralipomenis, in eo tantum coecutiens, quod Etruscos suos ubique interponeret. Quidquid vero cum e scriptoribus Graecis, tum e vasis picturatis super hac re disputari potuit, collegi ipse in commentariis ad vasa Tischbeiniana compositis: *Vasengemälde* P. II, p. 52 — 60. quae cum diutius iam librariorum in tabernis desiderata sint, uno volumine literis minusculis comprehensa et supplementis, quae curae secundae suppeditant aucta recudere, in animo est. Vestigia mea presserunt Millinus aliique, qui nostra aetate haec pertractarunt. Sed multa adhuc supersunt accuratius definienda. Sic qui in plusculis vasorum picturis iuvenibus istis chlamydatis vel palliatis praecepta administrant, non sunt aequales illorum, quod Millingio visum est *Peintures inédites* p. 71. nec gymnasiarchae, quod opinatur Millinus *Peintures de vases* T. I, p. 123. sed sunt κοσμῆται. His omnibus ex inscriptionibus Atticis, ab Osanno, Rosio, Boeckhio denique illustratis novam lucem affusam esse, quis nescit?

***) In prolusione, bonae frugis plenissima, sed diu iam a studiosis harum elegantiarum frustra desiderata: *Examen cui studia liberalium artium viguerint* cet. inscripta.

nestissimo fidibus canendi studio, an compotationibus, in quibus tibicinae convivas delectabant quaestum corpore facientes, sese addicturus sit.*) Sed in numerato habemus alias, in quibus optio eiusmodi ephebi, inter duas feminas Bacchicas constituti, manifesto declaratur.**) Quidni igitur in ea pictura, quam Tibi, Vir amicissime, hodie dedicare gestio, eiusdem quoque disciplinae***) nobis offerri speciem luculentam admodum et adhuc in nulla alia pictura observatam, iure meo contendere ausim? Sed nec in hoc acquiescendum nobis esse putamus. Progrediendum est ulterius. Utriusque feminae, quam ob oculos nobis positam intuemur, celebrari a nobis posse arbitror ὀνομαστήρια quae dicunt Attici, *initiandis infantibus* sacra, v. Amaltheam I, 55. seqq. Idcirco, quod faustum fortunatumque

---

*) Pulcherrima est hoc in genere pictura in vasis Lambergianis a Labordio editis T. I. tab. XI. quam de Apolline propter laurus virgam, quam manibus tenet iuvenis, nullo alio Apollinis citharoedi aut musagetae ornatu insignis, parum acute interpretatur editor in commentario p. 11. Sed ut dilucidius res appareat, advocanda huc sunt, quae de universo musices tractandae in educatione iuvenum ingenuorum studio et alii disputarunt et post Perizonium ad Aelian. V. A. VII, 15. doctissimus Locella ad Xenophontem Ephesium p. 125 — 127. Locus classicus est apud Aristotelem Polit. VIII, 7. p. 271. *Goettling.* Caeterum illuc inprimis attentenda mens est, quae de contemtu tibiarum et honore fidibus habito copiose olim disputavimus in dissertatione de inventione tibiarum in parte secunda *Musei Attici.* Et advertit animum pictura in vasis aliquoties occurrens, in qua Hercules ipse sub magisterio Palladis fidibus psallens inducitur, ad quod parum attenderunt, qui de originibus cultus Herculi Musagetae praestiti anquisiverunt, nec qui ad mysticas rationes in hoc cognomine explicando confugerunt (v. Creuzeri *Symbolica*, II, 246.) multum profecisse videntur. Tu adi, si tibi ad manus est, in opere Labordiano picturam praestantissimam T. II. tab. VII.

**) Unam tantum picturam commemorare iuvat ex Harcarvilii opere, vasa Hamiltoniana Museo Britannico vendita complectente, depromtam, T. II. tab. 109. En tibi ephebum saxo rudi, qualia in locis desertis passim protuberant, insidentem, duobus hastilibus nixum. Utrinque duae adsunt feminae mitratae, peplis amplissimis amictae, quarum una de re gravissima sermonem conserere videtur cum iuvene sermonem illum avidis imbibente auribus, altera a tergo eius conspecta, capite ad iuvenem reflexo, discedit indignabunda.

***) Ὀρφεῖ πεποίηται παρεστῶσα αὐτῷ Τελετή, verba sunt Pausaniae, qui, more suo, formam ipsam describere tanti esse non putavit. Nec iuvat Callistrati ἔκφασις, qui cap. VIII. p. 154. *Iacobs.* eandem Orphei statuam cum theatro animalium illius cantu delinitorum descripsit, sed Τελετῆς adstantis nullam facit mentionem. Ergo coniecturis opus, quibus quid effici queat, docuit nuper ingeniosus veterum recentiorumque artificiorum interpres Toelkenius, archaeologus Berolinensis in dissertatione de Malacia dea marina, quam Γαλήνης nomine in statuis in Isthmo positis commemoravit Pausanias in Corinthiacis.

sit. altera femina cum speculo et arcula mystica appellabitur *Τελετή*, altera *Τέρψις*. Quod ad *Τελετήν* attinet, apud Pausaniam locus legitur praeclarus de Orphei statua in Helicone posita, cuius *πάρεδρος* fuit *Τελετή* libr. XI. c. 30. 3. p. 106 *Siebel.* unde cognitum et perspectum habemus, statuas illi forma muliebri positas fuisse. Sed quam illi formam dederit statuarius, e Pausaniae loco parum liquet. Itaque Winckelmannus quoque in *Tentamine de allegoria* c. q. (T. II. p. 631. Opp.) qua specie deformata fuerit illa, prorsus se ignorare non dissimulat*), nec quidquam afferre potuit Siebelisius, quamquam diligentissime conquisivit omnia, quae ad Pausaniam illustrandum facere viderentur. E speculo tamen et cistula mystica initiationis genium muliebrem hic nobis dari in conspectum, quae dubitatio est?**) Ceterum si quis antistitam vel ministram sacrorum tantummodo hic conspici adseveret, non repugnabo, dummodo vincam, *τὸ τέλος*, perfectionem per mysteria obtinendam (v. *Valcken.* ad Eurip. Hippolyt. p. 163. seq.) sive *τὰς τελετάς*, quales ab Orpheo conditas commemorat Plato Polit. II, 7. (cum nota *Astii* p. 407. qui consulendus etiam est in dissertatione de Phaedro scripta) hic significari. Alteram mulierem, cycnum, delicias suas, in sinu foventem cur *Τέρψιν* appellaverimus, nemo mirabitur, qui vocem illam proprie de voluptatis titillatione e concubitu orta dici, vel e Iacobsii nostri nota in Animadversionibus ad Antholog. TI. p. 407, et, quem laudat e Valckenarii observatione ad Euripidis Hippolytum p. 221. C. didicerit.

Atque haec sunt, VIR MAGNIFICE, *amice carissime*, quae ut laetitiam e sacris semisaecularibus Tuis, publi-

---

*) Optandum sane, ut opusculum illud, quod Winckelmanni, cum iuvenis esset et custodis provinciam nactus esset in bibliotheca Bunaviana prope Dresdam, extudit industria, pro captu illorum temporum uberrimum, editorem inveniret industrium et in investigandis antiquis recentioribusque artificum inventis gnaviter desudantem. E picturis vasorum plus quam quadraginta nomina figuras allegoricas designantia v. c. *Θαλία*, *Ἵμερος*, *Πόθος*, *Κῶμος*, figuris inscriptas in medium proferre in proclivi foret.

**) Unum tenendum est, *Τελετήν* nostram plane alienam esse a geniis sacrorum androgynis, de quo olim disputavimus in *Archaeologia picturae* p. 224 seqq. magnopere amplificata a Creuzero in *Symbolicis* T. II. p. 108 et copiosius T. III. p. 412. Longissime eadem abest a Telesphoro, Aesculapii et Hygiae comite egregie illustrato a I. M. *Gesnero* ad marmor Cassellanum in *Comment. Gotting.* T. II. p. 304 — 314, cuius cum pulcherrimam in Museo Dresdensi servemus icunculam, lapide calcario exsculptam, explicationem sperare licet Hasii, collegae amicissimi, in maiore, quem parat, commentario de Musei Dresdensis marmoribus a Beckero vel plane omissis, vel parum feliciter expositis.

ce testificarer, nomini Tuo inscribenha esse duxi. Argumentum e litteris, quorum communi per quinquaginta annos studio nos recreatos, abstersaque omni senectutis aegritudine, refocillatos esse grati profitemur, petitum opellaque mea qualicunque expolitum Tibi documento sit, me nondum desiisse e studiis, quae iuvenes erudierunt, oblectant senes, tanquam e Pieridum hortis (πεδέχοντα ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας, ut cum Sapphone loquamur *fragmm.* p. 45 ed. *Neue*) flosculos decerpere iucundissimos. Tu vero laetus, alacer, vegetus, stans talo firmissimo, virium integritate pollens, aures praebe carminibus et concentibus symphoniacis a Reissigero nostro, qui REGI CLEMENTISSIMO est a deliciis musicis, discipulo Tibi obstrictissimo, ad Hermanni oden vate Venusino dignam compositis; perfruere honoribus, quibus Te REX ipse affecit splendidissimis, nomen Tuum praefectis ordinis equestris Saxonici adscribens; laetare gratulationibus, acclamationibus, plausibus collegarum, discipulorum, civium, bonorumque, quotquot Saxonia alit, omnium. Unum est, quod enixis a Te contendo precibus, noli me Tibi superstitem deserere properans ad sedes beatorum. Fuimus *consenescentes*, συγγηράσκοντες. Erimus *commorientes*, συναποθνήσκοντες. Vale, meae Musarumque deliciae. Dedi Dresdae, scribens ad mensam, ad quam mecum consedisti, cum Dresdam advolasses ad comitia ordinum Saxoniae obeunda. Calendis Maiis MDCCCXXIX.

Fecit intervallum locorum, in quibus scripta typisque expressa fuit haec epistola, ut quae vel calamo amanuensis excidissent vel, compositis iam plagulis, manus fugissent emendatrices, a me recognosci non possent. Quaesumus igitur lectores, emendent quae notavi, alia leviuscula et sensum minus turbantia ferant aequo animo et condonent seni. P.4. in versu antepenultimo dele *potius* — p. 5. v. 13. lege *tum* — p. 6. versu antep. saltationes importunae cedant *salutationibus* — p. 8. in versu, qui antepenultimum praecedit, lege *est* — p. 9. versu 6. legendum est *incederem* — p. 14. versu 24. leg. *excubanti* — p. 18. ad finem paginae lege *συντεθέντος* — p. 20. versu 11. lege *sequeretur* — p. 30. ad finem lege *Etrusca* — nota, quae totam fere paginam 33. occupat, verbis in pagina sequenti: *magis enitesceret* subiicienda est — p. 34. in media pagina leg. *adstringunt* — ibid. versu antep. l. *Farnesiana* — p. 35. in nota secunda lege *ab*strusa — ad finem dele *personarum* — p. 36. versu 9. lege *stragulis* — p. 38. v. 1. *Begerus* — p. 40. in fine v. penultimo lege *uni* — p. 42. post duxerunt, adde *rati* — ibidem post aliquot versus lege: *redacto* — p. 43. v. 44. leg. *Chandlerianum* — ibidem v. 50. lege: *feminam* — ibidem in versu ultimo adde *in* — p. 45. v. 3. lege: *ornaret, expingeret* — ib. v. 16. post accomodata deest *esse* — p. 46. versu 35. addendum est *cernitur* vocabulis ephebus mysta — p. 48. in nota excidit *specie* post verba: pulcherrimi signi — p. 49. dele *aris* post artifices — p. 53. pone IX.





